ERYCI PUTEANI

BAMELRODI

Historiographi Regii, Professoris, Consiliarii, &c.

EPISTOLARUM

POSTHUMARUM

TOMUS I



ROMA.

ARX LOVANIENSIS.

ERYCI PUTEANI EPISTOLARUM CENTURIÆ POSTHUMÆ


I.B. van Heil delin.

Coenr. Lauwers sculp.

LOVANII, Typis ANDREÆ BOUVETI, Aº. ∞.IↃC. LXII.



ERYCI PUTEANI
BAMELRODI
Historiographi Regii, Professoris, Consiliarii, &c.




EPISTOLARUM
POSTHUMARUM
CENTURIA V.
AD OMNIS GENERIS, STATUS, CONDITIONIS VIROS


MISCELLANEA.




LOVANII,
Typis ANDREAE BOUVETI, Typ. jur.
ANNO CIↃ.IↃC.LXII.









EMINENTISSIMO

S. R. E.



PRINCIPI,

ANTONIO

BICHIO,

ALEXANDRI VII.

VICARII

IN TERRIS CHRISTI,

SORORIS FILIO,

PRONUNTII

APOSTOLICI OFFICIO,

ABBATIS

S. ANASTASIÆ TITULO,

APUD

BELGAS BURGUNDOSQUE

PERICULOSISSIMIS TEMPORIBUS

LAUDABILITER PERFUNCTO,

SICQUE PROMERITO

UT IN

MONTEM ILCINIUM,

AC DEINDE

AUXIMUM

EPISCOPALI

DIGNI-

DIGNITATE

ASCENDERET;

DUMQUE RURSUM

CREVERUNT MERITA,

CREVIT ET SCALA

QUA

AD PROXIMUM

SOLIO PAPALI

GRADUM,

SELLAM,

INQUAM;

PURPURATAM

CONSCENDIT,

INSIGNI

INSIGNI ETIAM

LEGATIONE

PONTIFICIA

INTER

URBINATES

MAGNIFICE PERFUNGENS,

HUIC VIRO

TAM CONSPICUO,

DE

SANCTA SEDE

TAM BENE MERITO,

CENTURIAM

SELE-

SELECTIORUM

EPISTOLARUM

AB

ERYCIO PUTEANO

AMICO QUONDAM SUO

EXARATARUM:

SUMMA VENERATIONE MANCIPAT

AUTHORIS GENER

XYSTUS ANTONIUS

MIL SER.



ERYCII

ERYCI PUTEANI EPISTOLARUM POSTHUMARUM, AD OMNIS GENERIS, STATUS, CONDITIONIS VIROS CENTURIA QUINTA; EAQUE MISCELLANEA.

EPISTOLA I.



Bruxellam.

MELCHIORI DAELHEMIO, *Ord. Eremit.* S. AUGUSTINI, *Philologo & Provinciæ Belgicæ Visitatori.*





INter veros Amicos nomen mihi tuum jam olim scriptum est : suave, & dignissimum famâ nomen. Si Doctrinam respicio, ea in te cultissima est ; si Pietatem, religiosissima ; si humanitatem, integerrima. Inge-

 nio,

nio, animo moribus allicis unumquemque; me verò etiam defixum tenes. Cur igitur ad ultimas tuas, illas mellitas & nectareas non respondi? Quia te ipsum exspectabam; quia ubi locorum esses, scire non poteram; quia mora è dilatione crevit. Sed non excuso: expiare delictum paratus sum, & subire pœnam, quam ubi adveneris, impones. Nonne noster denuò & aliquamdiu eris? Ita intelligo, ac vehementer lætor. Unum igitur à Doctrina tua, à Pietate, ab humanitate petere audeo; ut noster adhuc esse pergat; quem & meum esse scis, & utilem huic Monasterio. Is Reverendus Pater Supprior est, insigni Pietate & bonitate præditus; in cujus aures & ego exonerare conscientiæ reatum soleo. Obtineat solitam sedem, LOVANII habitet, quo jam deinceps carere LOVANIUM non potest. Fac Urbis, Monasterij, meâ etiam caussâ; qui tuus sum, & ero semper. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Novemb. ∞. IↃC. XXV.

EPI-

EPISTOLA II.

Bruxellam.

DIONYSIO MALPASIO,

αἰὲν ἀριστεύειν.

NOn infeliciter PALAESTRAM BONAE MENTIS à me nuper restitutam esse, tua nunc etiam industria, Cultissime juvenum, ostendit. Dignus pręmio, qui exemplo conspicuus es, & cum laude, non tuâ tantùm, sed gentis universę, ingeniosus & facundus. Ingeniũ tuum facundiâ elucet, facundia ingenio. Mores verò tui, quia ad omne animi decus compositi sunt, magis & ingenium & facundiam ornant, imò nobilitant. Hinc quidem, ut pulcherrimè & utilissimè diceres, nullum profectu tuo dignum argumentum præter virtutes censuisti: quas ut tuas faceres, egregio sanè CONATU ad IMAGINEM ducere voluisti, & in PHILIPPO III. Hispaniarum Rege Optimo exhibere. O colores! ô penicillum! ô artificem! Hæc vera, & cælo digna pictura est, non oris lineamentis, quæ fugacia sunt; sed animi, quæ durant semper, absoluta. Ergo

videmus Regem, cujus vita non nisi virtus fuit: videmus virtutes, quæ cerni non potuêre, nisi in PHILIPPO, & à te repræsentantur: denique videmus MALPASIUM, quem si audisses, Lector, ampliùs etiam laudares. Lovanii, in Arce Regiâ, IX. Kal. Januarii, ∞. IↃC. XXVII.

EPISTOLA III.

Tongerloam.

AUGUSTINO WICHMANS,

Ecclesiæ Tongerloanæ Canonico Præmonstratensi, posteà Abbati.

SABBATISMUM tuum MARIANUM accepi, doctum sanè, curiosum, & pium opus, quemadmodùm primâ stati m inspectione notavi. Pergam igitur legere, ut evolvam universum, animumve m eum hâc doctrinâ, curiositate, Pietate imbuam. MARIAE nomen quàm suave est! Sabbati quàm sanctum est! Sed tibi primùm in mentem venit, SABBATISMUM MARIANUM celebrare. Macte calamo, imò ingenio: quot Sabbata erunt, quot

quot ſeptimanæ redibunt, propitiam VIRGINEM ſenties, & quiſque, ut renovato affectu colat VIRGINEM, tuo calamo, imò ingenio excitabitur. Exulent igitur Deorum nomina: in laterculum dierum MARIA recepta eſt: cujus ſanctiſſimi ritus originem & utilitatem à te diſcimus, cùm jam omnia in ſacra antiquitate eruta, explicata, illuſtrata viderentur. Tibi laus iſta debebatur: tuum etiam erit Coronam ſtellarum duodecim nectere, ut coronam ipſe accipias. Ita vale, & in gloriam VIRGINIS vive; quæ in ipſa tandem morte, à te mortem removebit. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Novemb. ∞. IↃC. XXVIII.

EPISTOLA IV.

Bruxellam.

FABIO DE LAGONESSA,

Archiepiſcopo Compſano, Nuncio Apoſtolico.

ILluſtriſſima Benignitas tua fiduciam mihi ſcribendi ſuggerit; ut beneficium petam, quod & ad meam, & ad familiæ meæ exiſtimationem

mationem faciet. Tanquàm satis mihi jam non sit, filium IUSTUM Gandavi habere Canonicum: huic ejus fortunæ aliquid addere lucis velim, sed à bono affectu tuo hauriendæ. Titulum ambio, & dignitatem peto, quæ perpetuâ obligatione & me tuum, & filium esse ostendat: sed quam à benignissima manu tua accepisse, ad cumulum honoris faciet. Dignitas hæc Protonotariatus Apostolicus est; filiumque meum, quemadmodùm exornabit, ita ad virtutem, doctrinam, pietatem diriget. Cùm in Apostolicis scriptionibus aliquamdiu jam occupatus fuerit, & officio scribæ latini perfunctus; nominis hujus se capacem fecit; sed quod totum beneficentiæ tuæ debebit. Æstiment alii alia munera; nobis hoc magnum erit, quia reverà magnum est; & magis, quia à TE veniet. Annue Illustrissime & Reverendissime DOMINE, & hanc PUTEANIS gratiam æternò duraturam præsta. Hac tessera, ubicumque JUSTUS meus erit, tuus erit: & ego, novo nexu tibi obstrictus. Lovanii, in Arce, XVI. Kal. Januarii, ∞.IↃC.XXIX.

EPIS-

EPISTOLA V.

Lovanii.

CHRISTIANO BEUSECUM,

S. Theologiæ Doctori, Collegii Regii Præsidi.

Mœstus ad me venit & miser juvenis ille, opem auxiliumque meum implorans; ut si minùs apud alios possem, tuam saltem humanitatem implorarem. Verecundè licet explicem hanc ejus petitionem; explico tamen nequid negâsse afflicto videar: cui graviùs jam peccatum suum est, quàm ab aliis accusetur. De seminario igitur proposuit, & ut aliquem in eo locum speret, se & animum suum, studia & vota imperio tuo obnoxia reddit ac mancipat. Respice, si ullo modo fieri possit, supplicantis preces, imò lacrymas; quas & filius, & filii caussâ pater jam senex fundit. Homines sumus: alius alio graviùs, sed nemo non delinquit. Interdum & peccasse

peccasse, major ad virtutem & verecundiam stimulus est, dum admissam fortè notam continuâ conantur industriâ extinguere, & cautelâ evitare, qui impetu magis quàm malitiâ transversùm aliquando abrepti sunt. Facinus si examinemus, totam ebrietas culpam sustinet: in potestate sua non fuit, qui ferro abusus est. Vivit etiam, qui cùm furentem provocaret, læsus est, qui nisi chirurgus peccasset, statim sibi reddi poterat. Casum ne tanquàm consilium puniamus, æquitatis, vel certè humanitatis ratio postulat. Etiam erigere lapsum, & in viam reducere, misericordiæ munus est, & præceptis Religionis nostræ atque Mysteriis celebratur. Nolo tamen impunita facinora esse. Ampliùs jam sustinuit, quàm forsan commisit. Collegio, scholâ, urbe extorris, totum miser annum in Monasterio tanquàm in carcere traxit: quod illi exilium studiorum velut supplicium fuit. Taceo sumptus hactenus factos; eò duriores, quia paupertas ipsa gravata est. Te rogo igitur Eximie Domine, ut molliori oculo juvenem istum respicias, & tuam illi patêre benignitatem velis: quam, ut bene de bono ingenio & jam provecto merear, interpello: qui prodesse aliquando Ecclesiæ poterit mœstus & miser esse desinat. Alius erit,

erit, si tuus esse incipiet, dignus affectu omnium, si tuum impetrabit. Ita salve & vale. In Arce xii. Kal. Januarii. ∞ .IↃC. XXIX.

EPISTOLA VI.

Lovanii.

BALDUINO BLYLEVIO,

Quæstori Regio.

BEnignitas Serenissimæ Principis id omnino agit, ut quod reliquum est vitæ & studiorum Patriæ malim, quàm Italiae liberalissimè invitanti impendere. Inter reliqua beneficia & munera nova etiam torque & Numismate Regio aureo insignitū esse pectus meum voluit. Reliquum nunc est, ut stipendiorum meorum, quemadmodùm addicta est, facilis sit solutio. Quæ cùm à tuo dependeat munere, suavior tamen erit si & affectum indicet. Ut præferam Italiae Patriam, tua quoque benevolentia faciet: quam majoris semper, quàm ipsam pecuniam, æstimaturus sum. Cupio enim à volente, lubente, amante stipendia capere: quę nisi matura sint, aliquid semper damni non rebus

tantùm, ſed ſtudijs adferunt. Matura autem erunt, quæ bonus affectus perſolvet. Vale, ſtrenulam æqui boniq́ue conſule. Lovanii, in Arce, Nonis Januarii. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA VII.

Bruxellam.

ÆGIDIO VANDEN ABEELE.

NARDO HISTORIAE meæ exemplar promiſeram, tibi debebam. Cape igitur, & quod tradas, & quod habeas, ſed velut affectus mei ſignum, tuo provocatum. Quàm amicæ & nuperæ & nunc litteræ tuæ! Quàm officioſa ſemper opera, benevolentiæ Gratiis ſtipata! Non videbar ſcriptione exſolvere debitum, perſolvo munere & ſimul ſcriptione. Quid nunc? Lege HISTORIAM, quam mitto, & munus ipſe capiam: excuſa brevitatem, quâ utor, & rurſus obligabor. Vale, & me amare perge: ita faciliùs & leges & excuſabis. Lovanii, in Arce, ſubitò, ut tuas accepi. VIII. Kal. Feb. ∞. IↃC. XXX.

EPIS

EPISTOLA VIII.

Venlonam.

THEODORO DALENIO,

Crucifero.

DOctrinam, an Pietatem tuam magis complectar? Utramque in cælesti libello tuo, & nuper, & nunc vidi. Nuper per offusas aliquot typorum nubeculas, nunc sublato omni nævo relucentem. Aurum scoriâ, gemmam maculâ liberare potuisti. Sed hoc fatum ingeniorum est, malè à prælo excipi. Sæpiùs jam sensi, quæ vulnera vel ignava, vel imperita manus infligat: nunc verborum, nunc sententiarum vis & anima suffocatur. Itaque & HISTORIAM meam INSUBRICAM alibi sulcam, alibi cicatricosam, alibi enervem videas. Non potuit hanc carnificinam GENEALOGIA mea, quam propediem missurus sum, effugere. Unde aliquid semper lectoris benignitati relinquendum est. Tu age quod agis, & illustrare ingenii calamique præstantiâ nomen Ordinemque CRUCIS perge. Qui reserare cælum potuisti, quos non theusauros

promas? Nunc quantùm possum, filios diligentiæ tuæ commendo. Quantùm proficient, videbor ipse discere. Sed an rectè ordinaverim scholas, hinc vel maximè omnes intelligent. Vale, & hoc nunc ἀντίδωρον cape. Lovanii, in Arce, Eid. Martii. ∞.ıↄc. xxx.

EPISTOLA IX.

Duacum.

HENRICO RUELLIO.

AFfectum in me tuum, mi RUELLI, quidni æstimem? De meo securus es, nisi à te & bona indole tua (quod facturus non es) recedas. Quemadmodùm coram hortari ad virtutem & doctrinam soleo: ita nunc rogo, ostendas non te frustrà in PUTEANI contubernio fuisse. Faciliùs sanè è domo, quàm è cura mea migrare potuisti. Adhuc enim de profectu tuo sollicitus sum; ut sicuti bono ingenio præditus es, ita bene etiam utâris. Debes hoc tibi, debes Parentibus optimis: quos vel felices, vel infelices reddes. Cogita quæ acceperis beneficia, quæ exspectes: gratus

gratus eris, si profligato ætatis otio, & vitatis vitiorum illecebris, nihil nisi quod honestum est sequeris. Breviter: vitam elige optimam consuetudo jucundam faciet. Lege, scribe, stude: plus à libris quàm à sociis oblectationis erit. Nimirum à labore ordiendum est, ut ad solidam voluptatem venias. Formandus est animus, ut quænam sit solida verè intelligas. Amare scientiam incipe & facilis erit; amare Pietatem perge, & scientiam incipies: ego te, mi RUELLI, quia pergis, quia incipis. Vale. Lovanii, in Arce, xv. Kal. Maii. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA X.

Bruxellam.

CAROLO BOURGOSIO,

Brabantiæ Procancellario.

NOn oblitus humanitatis tuæ, scribendi libertatem usurpo: libens, si officium meum amabis, invitus si fortassis molestus èro. Sed hic Amicus meus, imò hic Propinquus meus si stirpem spectem, ab Amplitudine

dine tua beneficium petiturus, suo ore, meo simul calamo voluit loqui. Amico quid non velim? Propinquo quid non debeam? Hęc igitur voluntas benignitate tuâ, hoc debitum favore tuo indiget; ne frustrà & ab Amico, & à Propinquo interpellatus sim: qui quâ verecundiâ petit, eâ meretur virtute quod petit, sedulus, probus, peritus. An alius esset? E BAMELRODIIS qui genere PUTEANI sunt, descendit; & GENEALOGIAM ipsam, velut tesseram à me adfert. Satis sic ego: nunc rogo ut Amicum meum & Propinquum audias; ut ubi petitionem ille suam exposuerit, dignam benignitate & favore tuo censeas, certè commendatione meâ dignum putavi. Vale. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Iulii. ∞ . IↃC. XXX.

EPISTOLA XI.

Bruxellam.

ADRIANO MEERBECIO.

Pietatis officium est, non viventes tantùm, sed & mortuos à liberis Parentes coli: vitam, ut sic dicam, memoriâ extendi. Hac unâ

unâ ratione grati sumus: reddimus quantùm accepimus, & ducto ad sepulchrum affectu, originem quoque nostram ab interitu vindicamus. Laudo filium, qui non sinit Patris Matrisque tumulum mutuum esse: qui & nomen & vitam breviter utriusque inscribit tanquàm mori jam non possint. Mihi formula tota, candidè dico, placuit: & quid igitur interpolatione opus? Quia tamen & meam poscis manum, mutare inscriptionem malo, quàm morem non gerere: tuum erit, excusare facilitatem meam, non ingenio affectum, sed affectu ingenium metiri. Ita vale, & de me, tanquàm de familiari statuo. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Octob. ∞. IↃC. XXX.

EPISTOLA XII.

Insulas.

JACOBO BRUNEAU,

E Praefectis Aerarii Insulensis.

GRatior mihi Sanè meus GABRIEL fuit, Prudentissime Vir, quia cum lit-

 teris

teris tuis humanitate plenis, rediit. Cùm meum, dico, omnia dico, & quæ optimam indolem ejus, & meum simul affectum indicant. Quemadmodùm vivit, studet, affectu, imò laude dignus est: ego autem advigilabo, ut sic pergat agere, viuere, studere. Quia doctrina sine eloquio coli non potest, omnino auctor sum ut linguæ latinę usum & elegantiam capessat; breviter autem DIALECTICAE præcepta, quantùm juri Civili satis est. Reliqua Deus & industria dabunt. Illum sanè piè colit, & hanc ingenio jungit: quod est, spirantę feliciter aurâ remis velisque navigare. Ergò in portum veniet, aptus Reipublicæ erit, favore verò Optimæ Serenissimæque Principis evehetur. Hoc penitùs votum meum est: pariter, ut benevolentiam tuam, iugi, quod offero, obsequio merear. Ita quemadmodùm meum GABRIELEM dico; ego ipse candidissimo affectu & cultu tuus ero. Lovanij, in Arce, v. Kal. Martias. ∞. IↃC. XXXI.

EPIS-

EPISTOLA XIII.

Venlonam.

HENRICO WEBBERO,

Crucifero.

INgenio & eruditioni tuæ publicè omnes debent, qui Ordini CRUCIFERORUM bene consultum cupiunt: industriæ & affectui ego privatim, qui filios meos ANDREAM & HESSELUM tam felicibus scholis commisi. Industriam affectus gignit: hunc promereri cupio. Sed tu nunc ingenio & eruditione, industriâ & affectu facis, ut felices appellare scholas debeam: felices etiam filios, qui in scholis istis, & tuâ manu formâtur. Quid reddam, aut præstabo, ut gratus sim? Agnoscam beneficium, & te secundum filiorum meorum parentem nominabo. Itaque quantùm amo filios; te quoque cogor diligere: facis, ut quia bonis litteris moribusque filios meos instituis; majorem eos amandi caussam accipiam. Perge instituere, imò perge tuos reddere, qui mei sunt: patientur me tuum esse, qui me suum tenerrimo affectu & strictissimo

jure appellant. Sanè quantùm illi industriæ & affectui tuo obstringentur, semper ego debebo. Vale, & filios meâ, me filiorum causâ ama. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Mart. XXXI.

EPISTOLA XIV.

Leodium.

SILVESTRO PETRÆ SANCTÆ,

Societat. JESU, *Theologo & Mathematico.*

TOtus amœnus es cultissime Pater, qui tam eleganter; totus candidus, qui tam amicè scribis. Omnem tanquàm virtutem cum Doctrina junxeris, humanitatem eruditè, eruditionem humaniter explicas. Epistolam ipsam non possum nisi humanitatem & eruditionem appellare, verbis brevem, pretio prægnantem. Hoc ornatu, quod misisti EPINICIUM, dignum erat: hoc affectu dignum judicasti, ad quem EPINICIUM mitteres. Id legi igitur, & statim URBANUM agnovi, non mi-

minori laude Vatem, quàm Regem victorem. Etenim sic captam RUPELLAM esse, ad gloriam facit: sic descriptam esse, ad æternitatem. Dedit LUDOVICO URBANUS quod victoriâ majus est; ampliùsque accepit ab URBANO LUDOVICUS, quàm extorquere hostibus potuit. Quia unicum hoc in BELGIO exemplar est; mei unius remanere, iniquum censeam. Ejusmodi autem hoc melos est, ut non inveniat musas, sed adferat. Inveniat tamen apud eum, qui de cervinis cornibus in candelabrum aptatis, admirandam Elegiam scripsit. Inventio felicissima est, numeri faciles, acumina ad invidiam ingeniosa. Vis & dictionem? Nescio an latiniore APOLLO ore facundus sit. Ut omnia dicam, hoc est ad URBANUM accedere: hoc est, SILVESTRUM esse, PETRA SANCTA appellari. Recipe igitur EPINICIUM, vel ideò quia non exigis: meum est, non quâ liberalitate miseris, sed quâ fide acceperim, expendere: non ut vindicarem mihi sed ut legerem in quo totum beneficium positum erat, paucorum dierum usurâ circumscriptum. Nunc ut gratus sim, HISTORIAM hanc meam vicissim tibi usurariam facio, quàm à tua deinde manu Illustrissimus Nuncius, & nunquam mihi satis laudandus Heros accipiat. Epistolam verò istam ad Summum Pontificem, cupio tuam esse

esse, & animi tibi mei mancipati tesseram. Pro ITINERE MOGUNTINO, verè aureo scripto gratiæ reliquæ sunt, quas quia referre non possum, dico, & obstrictum me profiteor. Sanè quam optas & ominaris parem veris mihi & ingenii amœnitatem, hîc inveni. Vale. Lovanii, in Arce, III. Nonas Maii. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA XV.

Duderhofium.

JACOBO SKYTTE,

Libero Baroni in Duderhof.

ALibi vivere, alibi etiam amari & æstimari, litterarum quædam felicitas est: sed hanc ut & ego agnoscam, benevolentia tua facit. Quantùm ames, laudes indicant, effusæ, copiosæ, & pondere suo laborantes. Totæ nonnisi laudes litteræ tuæ sunt: imò flammæ sunt, & ardorem mittunt. Frigus & gelu sim, nisi incalescam. Aliudne dicam? Inhumanus sim, nisi tuus: non jam remotus, licet absens; nec jam infelix, quia alloquio tuo

tuo dignus. Scripta si fortassis tibi mea imponunt, saltem conatu placere cupio: æstimari etiam patior, cùm ad stimulum eruditione videam valere. Sed an eo tu indiges, nobilissimâ indole incitatus? Habens Patrem summum virum, & virtutum omnium lumine inclytum, quem sequaris: habes Regem quem armis litterisque æternum, etiam summi suspiciunt, meliorem quoque, quàm ut Bello occupetur. Bene est: quia Clarissimum & parem priscis amas & ęstimas VOSSIUM meum, in me affectum transfers. Facis amando æstimando, ut tibi adesse, apud te vivere vel maximè videar. Sic nunc & Perillustri Parenti tuo cultum meum insinuabis. Vale. Lovanii, in Arce, xv. Kal. Jun: ∞.IↃC.XXXI.

EPISTOLA XVI.

Bruxellam.

JO. JACOBO CHIFFLETIO,

Equiti, Archiatro Regio.

DOctum esse, & ad Rempublicam vim ingenii conferre, gemina laus est: occupatum

patum esse, & tamen ingenio vacare, divinioris naturæ argumentum est. Te respicio: nam ut munus tuum est, gravissimo negotio & lætissimo otio libratur. Prorsus tanquàm vitæ dividas tempora, Principi ac tibi, nullum in aula officiorum omittis momentum, nullum domi studiorum. Post labores libri sunt, ac respiras, ubi alij labores putant: legis, scribis, lucubras, ubi etiam quies honesta est. Sic, ut magis VESONTIONEM tuam illustrares, SACRA tibi LINTHEA nuper & postea PORTUS ICCIUS, magnâ eruditionis famâ scriptus est. An satis? Inter alia nunc opera, splendidissimum aggressus VELLERIS AUREI ORDINEM, omnium in eo Equitum INSIGNIA GENTILITIA, Fecialium verbis enunciata, quod difficillimum erat, Latina facis. Nescio quis id ausus esset, nisi fieri posse tu ostenderes; & ore Romano, quicquid non Romanum est felicissimè proferres. Cùm sic loqui detur, minùs est quicquid pingi solet. Ostendis colores, licet non exprimas; & calamo doces, quid sequi penicillus debeat. Hîc igitur Equites & insignia sunt: & quorsum Equites, nisi insignia sciamus? Non minùs hæc profectò ipsa, quam qui ea usurpant, & Vellere, & Torque exornantur: imò in uno

aliquo

aliquo putes Equite totam ſtirpem reſplendere. Circumdat ſcutum Torques, ut tanquàm à ſcuto Vellus dependeat, quo pectus quiſque ſuum locupletat. Tam religiosè etiam hîc agitur, ut inſignia non nemo malit, quàm nomina uſurpare; recuſet nomina, niſi quæ inſignia ſint, nihilque nominis habeant. Illa ſingulorum, hæc familiæ ſunt, & velut indicia ac teſtimonia Nobilitatis oſtentantur. Sed quid? Hominem eſſe, quàm Nobilem, prius eſt: omniſque hæc picturę in ſcutis varietas ſimpliciſſimam, ut opinor, originem habuit. Ita etiam, quæ ad uſum primitùs inventa ſunt, ad ornatum ſenſim prorepſerunt, non inſtrumenta tantùm vitæ, ſed & munia. Homines ipſi cùm à fera & agreſti vita ad civilitatem aliquando venirent, ſtatum quiſque ſuum & conditionem, proprijs aſſumptiſque velut ſignis denotabant. Diſtingui, neceſſarium erat; ſciri, monſtrari, eminere, mox pulchrum omnes arbitrati ſunt. Cùm gradus fierent, & alii loco, alii animo, alii ſtemmate præſtarent, etiam virtus pompam quæſivit. Hinc honorum tituli, dignitatum teſſeræ, appellationum formulæ, familiarum notę, armorum imagines, inſignium colores; nec uno hæc omnia apud gentes omnes nationeſque ritu. Nobilitas præcipuè, ut ſplendo-

splendorem assumeret, & singulari modo conspicua esset, titulos illos, tesseras, formulas, notas, picturas, quadam etiam generis prærogativâ sibi vindicavit. Et quis igitur miretur in THRACIA olim frontem quosdam notis compunctam habuisse? In BRITANNIA corpus glasto pictum? Apud INDOS & ATHENIENSES vulnera aurium & auri gestamina in signum εὐγενείας valuisse? Apud ROMANOS quoque lunulas in calceis, bullas in pectore gestatas.

——Et Nobilis & Generosus
Appositam nigra lunam subtexit aluta.

De statuis & ceris nihil dico: nihil de atriis, fumosâ imagine instructis. Postquàm enim à BARBARIS ROMANI victi sunt, arma insignia facta. Scutum pingi cum casside placuit; ut bene aliquando pugnasse, Nobilitas esset, virtusque militaris nomen, gentem, stemma constitueret. Sic jam & qui non pugnant, arma gerunt; & tanquàm adhuc VENUS MARTEM amet, mulieres armantur. Serò tandem res ad artem venit, miroque studio & ingenium exculta est. Tot regulæ formulæque natæ & constitutæ, quot inter metalla colores sunt, & quot modis emicant. An dicam? quot formis dividi, decussari, obliquari, area scuti potest:

poteſt: quot faſcias, tęnias, limbos; quot palos, vectes, capreolos habet; quot turres, ædes, caſtella; quot undas, nubes, aſtra; quot aves, piſces, quadrupedes; quot ungues, dentes, cornua; quot arbores, herbas, flores; quot faces, lampades, ignes; quot rhombos, globos, laterculos; quot inſtrumenta, machinas; moles. Videmus & galeam variari, nunc clauſam, nunc apertam, & clatratam, nunc rectam, nunc verſam & obliquatam, nunc ſerto redimitam, coronâ cinctam, faſtigio turbinatam. Etiam à metallo hîc dignitatis pretium eſt, & excellit quod maximè avaritia æſtimat, quodque igni à *PINDARO* comparatur. Rem diffuſam dicas, delicatam ſcientiam, curioſam cenſuram. Ut ea ſunt quæ dixi, & non dixi, intelligere omnia, ordinare ſingula, arduum eſt; ſed præcipuè effatu omnia, verbis ſingula complecti, moroſum & immenſum. Et tamen tuum id ingenium potuit, eloquium potuit: facis, quicquid Reges armorum faciunt; quod majus eſt, dicis quicquid facis. Hæc otia tua ſunt, ut faciliùs negotia feras: hæc privata, ut publicis ſufficias. Oſtendiſti profectò *PALLADEM* non *MERCURIO* tantùm, ſed *APPOLINI* & *ÆSCULAPIO* jungi. Et quomodò non ad *PALLADEM*

hæc armorum & insignium mysteria, hæc nobilitatis argumenta referam? Ad PALLADEM, quam nisi tuam dixero, parum aut nosse, aut colere ipse videar. Itaque nomen tuum quoddam deinceps quasi numen Artis hujus erit: à tua mente, quæ dubia aut obscura sunt, lucem accipient, à tua lingua animam ac vitam. Nescio equidem, industriam an felicitatem scriptionis potiùs mirer. Effecisti mehercle, ut jam pingere insignia, & ornare arma sine coloribus liceat; ut metalla verba sint, tamque scribi quàm cudi queant. Et quantùm igitur Nobilitas omnis, imprimis autem totus tibi VELLERIS ORDO AUREI debet! Aeternitas inventa est. Fugaces colores sunt: Scriptura (hæc tua est) aboleri nequit. Metalla tempori & injuriæ obnoxia; verba & eloquia (& hæc tua sunt) ut nunquam moriantur condita sunt; cùm ad nullam etiam ducuntur senectam, extra naturæ legem rerum hominumque memoriam collocant. Ergo hic liber tuus, qui *INSIGNIA GENTILITIA EQUITUM ORDINIS AUREI VELLERIS* continet, colore quocumque constantior, & aere perennior erit,

Quem non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis

Annorum

Annorum series, & fuga temporum.

Non erunt aliqui aliquando Equites, non erunt insignia; in tuo tamen libro erunt. Sed hunc cùm laudo, cæteros tuos, & jam paratos exigo; ut post *INSIGNIA*, plenam & luculentam *AUREI VELLERIS HISTORIAM* in lucem proferas, illud tot siderum cælum, illud virtutis & gloriæ theatrum. Ad voluptatem omnium faciet, tot imagines Principum vero Ordinis amictu & ornatu repræsentari. Cernemus igitur partim scuta & galeas, pleno majestatis decore coruscas; apices & pennas, regali stemmatis jubare fulgentes: partim sigilla, copioso symbolo animata; nummos, imagine triumphali pretiosos. Cernemus denique comprehensam his omnibus, & distinctam tempore, contractam compendio rerum imaginem ad victorias triumphosque Principum exhibendos idoneam; quæ una potissimùm desideratur. Etiam post hanc liberalitatem reliquator eris magni illius, & maximè flagitati Voluminis (an luminis dicam?) quo *ORDINES OMNES MILITARES*, & plerique hactenus non descripti, sciri tandem perfectè incipient. Tantùm Vir Doctissime, potes; tantùm quoque Reipublicæ debes: nisi à te ornetur, neglectam se putabit;

nisi te vicissim ornet, ingrata audiet. Deus meliora! Quia pulchra, solida, magna scribis, magnus ipse eris; quia sæculum illustras omnis ad te splendor rediturus est. Vale, & aliquam tui partem me cense, aliquam Fratris tui, *HIERATOPARCHÆ BELLIFONTANI*: in quo Viro elegantiæ & candoris laudem recuperasse sæculum nostrum videtur. Iterum vale, & feliciter quæ edis ede. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Junias. ∞. IↃC. XXXI.

EPISTOLA XVII.

Bruxellam.

AURELIO AUGUSTINO MALINÆO,

Equiti, in Suprema Brabantiæ Curia Senatori, posteà in Sanctiori; ac jam demum in Summo Senatu Status Belgici in Hispaniis Consiliario Regio.

UT scriberem, veteremque affectum novo cultu contestarer, vel hæc nunc occasio

ſio arripienda erat. Amicum ecce, & aliquando Auditorem meum benignitati tuæ commendatum eo. Amico debeo omnia, & omnia à me exigere Auditor poteſt. Officium verò meum cùm merita ejus hic ſtimulent; quem doctum, prudentem, integrum, & Reipubl. idoneum ſcio, optem in Concilio veſtro Laticlavi participem fieri. Ut igitur nomen ejus in numerum recipere Benignitas tua velit, quantùm poſſum rogo. Candidatum favor fortaſſis Principis complectetur. Te quoque nónne & Amicum, & Auditorem imò & Contubernalem habui? At nunc velut Patronum, virtute, Doctrinâ dignitate eminentem, colo. Quare ſi quid in gratiam Amici & Auditoris factum erit, factum mihi putabó, & memori beneficium animo agniturus ſum. Sanè quemadmodùm tuus ſum, ita & hic Amicus erit. Sum verò, & ero ſemper, affectu, obſequio, cultu. Lovanii, in Arce, Eid. Januarii, ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XVIII.

Venlonam.

HENRICO WEBBERO,

Crucifero.

QUo affectu & curâ filium meum utrumque cõplectaris, non desinit ad me Affinis meus perscribere, & ostendunt ipsi qui instituuntur; semper solliciti, ut quod jam intelligunt beneficium, à me potissimùm æstimetur. Id profectò animo magis quàm calamo hactenus feci: litterasque inanes censui, quæ sine hostimento mitterentur. Ut gratiam igitur referrem potiùs quàm scriberem, distuli profiteri quantùm debeam, & peccanti similis fui. Hanc ecce culpam deprecor; veniâ dignus, quia quemadmodùm obstrictus sum, ita non ut declinarem sortem, sed ut adjicerem fœnus, reliquator fui. Cogita me tuum esse: ac ne dubites, respice pignora quæ habes, nec posse à Filiis Patrem separari. Si temporum permitteret ratio, adessem ipse, & quæ satis scribi nequeunt, dicerem: quæ

satis

ſatis dici nequeunt, præſtarem. Præſtabo tamen, & bonum, ut ſic dicam, nomen ero: quod cùm Doctorum ſtudeam hominum benevolentiâ attollere, tuâ imprimis familiaritate ſtabiliam. Ita vale, ſed quo affectu & curâ Filium meum utrumque complecteris, Patris ipſe nomen ſuſtine. Id enim bis jam erit Præceptorem eſſe. Lovanii, in Arce, Kalendis Aprilis. ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XIX.

Leodium.

SILVESTRO PETRÆ SANCTÆ,

Societat. JESU, *Theologo & Mathematico.*

METaphoræ tuæ, totidem mihi gemmæ ſunt, & in Bibliotheca mea relucent. Gemmæ, & Auctorem ſuum oſtendunt verè Gemmam eſſe, malè Petram appellari. Si ampliùs eſt SANCTUM eſſe quam SACRUM, non violabo nomen tuum; ſed quicquid ſcribis, ſanctum inſcribam: gemmarum interim om-

nium pretium in Petra æstimabo. Nunc LINEAM istam vide, & velut gratiæ tesseram cape; quâ PRINCIPIUM DIERUM HIERATICUM continetur: imò CIRCULUM vide, quo Orbem terrarum dividere placuit, ut quàm maximè tibi jungeretur. De Sacris hîc agitur, ordine celebrandis: dedicari inventio Sacrorum Principi debuit: inscribi URBANO, qui ut Maximus, ita quoque Doctissimus est, non minùs ingenio, quàm imperio, nec minùs eruditione quàm religione mundum complexus. Omnia dabit, qui diem dabit; qui ut consecret DIEM, novo nomen CIRCULO suum concedet. Ad Pontificem exemplar missum est: quidni ad illum quoque, qui Pontificem in INFERIORI GERMANIA nostra repræsentat? Quid dicam? Illustrissimum & Reverendissimum CARAFFAM veneror, & propitium huic præsertim LINEAE meæ cupio. Tu facies, aut minùs me amabis: imò facies, aut minùs te Doctissimus, Facundissimus, Elegantissimus Pater TYMPELIUS, qui totus est meus, amabit. Vale. Lovanii, in Arce, XVII. Kal. Septemb. CIↃ. IↃC. XXXII.

EPIS-

EPISTOLA XX.

Madritum.

JOANNI DE LA FAILLE,

Societatis JESU, in Academia Madritensi Regio Matheseos Professori.

De Circuli Gravitate Demonstrationes tuas doctissime & Admodum Reverende Pater, non vastum quidem, sed subtilissimum & dignum Regiâ Cathedrâ Opus, accepi. Admiror singula, laudo omnia, & velut ingenii thesaurum hanc Doctrinam habeo. Circuli pretium ignorare cogebantur homines, etiam Docti, nisi tu gravitatem ejus expendisses. Sed ego crassiore Minerva examinare quoque Circulum aggressus sum, qui Diem & Principium Diei contineret. Mitto exemplar, & judicium tuum ambio. Quia enim majore aliquâ stili pompâ etiam Regi nostro, quæ ad summum Pontificem compendio

pendio missa sunt, proponere constitui; à te ducendus & dirigendus sum. Indulge mihi censuram tuam, Doctissime Pater, tam severè, ut à benignitate non recedas; tam benignè, ut veritatem malis quam amorem profiteri. Severus esse non poteris, nisi ut amorem indices: amare non poteris, nisi velis severus esse. Aliquâ sic argumenti fiduciâ loquor: CIRCULUS est, sed URBANIANUS, ut ipso nomine allubescat; Αρχημμερινὸς ut totus intelligatur. Pro CIRCULO autem CIRCULO gratiam dicere, opportunum censui. Vale. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Septemb. ∞ .IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXI.

Bruxellam.

BALTHASARI NARDO,

Philologo, & Protonotario Apostolico.

CIRCULUM hunc ad te mitto, quia novum, quia URBANIANUM, quia meum. Etenim post tam variam aliorum industriam ac solertiam, aliquid etiam invenire ausus

re ausus sum, quod judicium subiret omniū, & tuo potissimùm staret: usurpare Pontificis Opt. Max. Nomen, quod omnes, & te præcipuè alliceret. Satis autem erat, Meum dicere, ut & novitas & nomen placerent: imò satis, ut benignus esses, & ad legendum imò censendum animum adijceres. Nimirum tam judicium tuum æstimabo, si tanquàm Censor legeris, quàm amplectar Elogium, si tanquàm Amicus censueris. Quid etiam? Amicum te putabo, si Censorem experiar si de Circulo isto novo, Urbaniano, meo quid omnino statuas, intelligam. Vale. Lovanii, in Arce, v. Eid. Septemb. ∞. Ɔ C. XXXII.

EPISTOLA XXII.

Bruxellam.

THEODORO WALLÆO,

Ordinis Eremit. S. Augustini,
Gymnasii ejusdem Litterarii Lovanii Præfecto.

Quotidie scripturo impedimentum quotidie objectum est. Nosti Conditionem meam

meam, & muneris. Nunc ecce momentum temporis vacuum est; & quidni igitur tuum? Sic enim magis meum erit. Nova quæ scribebas, grata erant: gratissimus affectus, quo scribebas. Non possum jam officio respondere, possum affectui, ac licet nihil nunciem, vehementer amo. Ingenium, Doctrina, & ipse me candor tuus cepit, utroque illo Parente natus: nisi filium malis appellare. Sanè quia ingeniosus & Doctus es, candidus es: vel potiùs quia candidus, majori laude ostendis te ingeniosum doctumque esse. Conserva has dotes, & sic me ama, ut sæpiùs velis scribere: sæpiùs scribe, ut constantem esse amorem intelligam. Vale. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XXXII.

EPISTOLA XXIII.

Gandavum.

JEREMIÆ PIERSENÆO,

Consiliario Regio.

MEræ deliciæ mihi tuæ litteræ fuêre: versus, thesauri. In illo munere imò in illo onere

tam

tam Apollineum te esse! Ornas hac ingenii felicitatem unus, onus etiam sublevas: ostendis autem divinis ingeniis nihil negatum esse. De Sacerdotio filius meus jam mentem, imò suam aperuerit: non potest enim suam à mea, sed neq; vult ullo modo separare. Quia igitur sedem vitæ & votorum in Urbe vestra, id est, augustissima, fixurus est: & ego vester interdum ero. Sed quantùm amabo filium, te colam, & in te Doctrinam, virtutem, elegantiam venerabor. Ardentis hujus affectûs novam ecce tesseram, has VINDICIAS CIRCULI URBANIANI mitto; imo ipsum CIRCULUM, VINDICIIS annexum. Si tantùm otii erit, inspice, & me ausum dici principium in orbe terrarum constituere, ama. Toto animo te complector; & rogo, ut filio meo tanquàm alter pater sis, qui me fratrem potes appellare. ita Vale, Vir Amplissime, & florentem diu familiam habe. Lovanii, in Arce, v. Kal. April. ∞. IↃC. XXXIII.

EPISTOLA XXIV.

Mechliniam.

JACOBO ROELANIIO,

Equiti, Toparchæ de Henthaut, in Suprema BELGICÆ Curia Consiliario Regio.

FIlium tuum minorem jam complexus eram, egregiâ sanè indole & formâ adolescentem, ac virtute dignum. *FORTES CREANTUR FORTIBUS ET BONIS.* Sed tuum esse, hoc ad laudem satis est. Ille verò ostendit se esse. Qui inter pueros & adolescentes excelluit, inter Viros quoque eminebit. Sic pergat *PHILOSOPHIAM* discere, quemadmodùm *POETICAM* & *RHETORICAM* didicit. Me quoque cùm audire incipiet, tanquàm Patrem inveniet; imò priusquàm incipiet. Officiâ enim omnia, quemadmodùm tibi debeo, ita & tuis persoluam. *CIRCULUM URBANIANUM* nuper miseram; nunc ut *THEORESIN* i-

stam

ſtam videas rogo, & me ames. Vale Ampliſſime Domine & Patrone, imò vive & felicem lætumque hunc & plures annos habe. Lovanii, in Arce. Prid. Kal. anni novi. ∞. I Ↄ C. XXXIII.

EPISTOLA XXV.

Bruxellam.

JOSEPHO GELDOLPHO RYCKELIO,

Abbati Gertrudano.

DIes iſtos hilaritati deſtinatos ſic tranſigo, ut vix putem dies eſſe, ſine joco, riſu, ludo, quia ſuaviſſimâ conſuetudine tuâ deſtituor. Aliquid lucis litteræ attulerunt, colloquii vice tamquàm voce. Videre enim viſdeor, quem lego; audire, quem ſola mente & cogitatione complector. *STREITHAGNI ESTASIS* lepida eſt; ſed me tamen recreare hoc tempore nequaquam potuit. Durusne ſum? At fortaſſis nimis delicatum deprehendes. Ferre jam nequeo quæ triſtia ſunt; minùs quæ jucunda. Quid agam igitur?

Eadem, quæ soleo, sed non eodem animo. Idem sum, & jam alius. Alia sunt omnia, quę fallaci hactenus vultu blandita sunt: exosa, quia fallere potuerunt. An clariùs? Sed coram dicam, & miraberis. Miraberis quoque hunc titulum, IDEA HEROICA expressum. Nimirum, non contentus *UNO*, *UNAM* quoque laudare volui. Unam inquam, & quam omnes lugemus. Vale, veni, & me ama. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Martias. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXVI.

Bruxellam.

HIERONYMO A CASTAÑEDA,

V. N.

TU verò invenire amœnitatem in *UNO* potuisti, quia ipse amœnus es, & elegantiarum ingenio spiras, sermoni litterisque inspiras. *IBERUS* es, sed eruditus es, & quantùm gratiæ rident, moribus exprimis. Belluæ sint, qui

qui bonis & dignis homine studiis infesti: te amo & æstimo, qui cœlo quàm terræ vicinior es, radiisque ingenii luces: meus nuper ut semper esses; quemadmodùm tuus ego esse aliquando cœpi, ut nunquam desinerem. Si aliquid *BELGÆ* habes, & ego *IBERI*. *BELGA* potiùs non sim, quàm totam *IBERIÆ* gentem non diligam, illam verè masculam, virtuti & majestati natam; illam, ut omnia dicam verè *UNAM*. Sciat hoc Illustrissimus Comes *SALAZARIUS*, Unus quoque, & dignus quoque inter Heroës censeri: quem obnixè rogo, ut me tuâ caussâ amet, & te meâ. Vale. Lovanii, in Arce, Nonis Martii. CIϽ. IϽC. XXXIV.

EPISTOLA XXVII.

Mechliniam.

JACOBO ROELANTIO,

Equiti, Toparchæ de Henthaut, in Suprema Belgicæ Curia Consiliario Regio.

EPistola tua, mera mihi amœnitas fuit: brevis, sed elegantiis stipata: una, sed quę

omnia, ad laudem spectantia, contineat. Vim ingenii tui vidi, & ubertatem eruditionis: affectum simul vidi, quem sæpiùs jam expertus sum. Multa ego scripsi, ut UNUM laudarem; tua pauca multis potiora sunt: tu UNUS, qui verè me excitare potes, ut plura scribam. Opus igitur Magnum AMOENITATUM daturus sum: Opus unum, sed quo sæpiùs oblecteris; sæpiùs me laudare, semper amare cupias. Epitaphium legi, relegi, expendi, examinavi. Quid mutem, quid addam, quid demam, herclè non invenio. Incidatur, ponatur, legatur. UNUM hoc etiam, & singulare erit. Vale. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Aprilis. ∞. I Ↄ C. XXXIV.

EPISTOLA XXVIII.

Bruxellam.

AURELIO AUGUSTINO MALINÆO,

Equiti, in Suprema Brabantiæ Curia Senatori, posteà in Sanctiori; ac jam demum in Summo Senatus Status

Status Belgici in Hispaniis Consiliario Regio.

SCribendi occasionem ab hac IDEA mea sumo; quam publicam esse non putavi; nisi à te quoque legeretur: nec meam esse, nisi tua pariter fieret. Laudes optimæ, & in cælum receptæ Principis sunt, quam adhuc lugemus. Laudes pridem scriptæ, recenter editæ, cùm nescirem ipse an edendæ essent. Alii alias virtutes extulerunt, ego paucas, & præcipuas volui, & quas Heröicas appellarem. Sed has paucas libenter scio inspicies, qui multas possides; pars incomparabilis Heroinæ quæ tuo & ore in sacra BRABANTIAE Curia justa fuit, & ASTRAEAM expressit. Tu vive, & Amplissimi Collegæ tui vivant; existimabimus Principem mortuam non esse, si vivent virtutes, quæ felicem Rempub. felicem litterarum cultum facient. Iterum vive, & Vale. Lovanii in Arce, VI. Kal. Junii, CIↃ. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXIX.

AntVerpiam.

JULIO BUFFALINO,

Nobili Romano.

BEnevolentiâ tuâ nuperâ pellectus, affectum meum quasi ad familiaritatem ducere ausus sum, ut de itinere inquirerem, de valetudine, de reditu. Bene est, ANTVERPIA te habet: nec adhuc tamen scio, an firmum vegetumque. Autumnus ubique gravis est, sed in BATAVIA noxius, præsertim non assuetis. Terra arundinum quàm segetum fertilior, & in aquis suis quodammodo natans non sinit purum aëris liquorem esse. Plurimus hîc NEPTUNUS est, sed quia stagnans, reliqua elementa inficit. ANTVERPIAE commodè quidem eris, sed amœniùs apud nos, quippe in MUSARUM Urbe. Atque ego Arcem nostram commendo, eamque in hospitium atq; contubernium offero. Utinam tam felix sim, & hæc nostra tecta te excipiant! Magis certè in animo meo, quàm domo habitabis. Si Philosophi vita placet, hîc eam invenies. Deliciæ nostræ Litteræ sunt

ac

ac majori curâ ingenium, quàm corpus nutrimus; non ut vivamus tantùm, sed ut æterni simus. Si de valetudine tamen agitur, molliùs curaberis, quàm ANTIOCHO oculi curari solent. Cogita, non MINERVAM tantùm sed & HYGEIAM in Arce nostra coli. Vale, ut venias; vel veni, ut valeas. Veni, inquam, Perillustris Domine, ut coram gloriæ tuæ ingenium meum consecrem, quemadmodùm benevolentiæ animum mancipavi. Unam jam quæro famam quam BUFFALINI nomen faciat. Lovanii, in Arce, Kalendis Decembribus. ∞. IↃC. XXXIV.

EPISTOLA XXX.

Mechliniam.

JACOBO ROELANTIO,

Equiti, Toparchæ de Henthaut, in Supremâ Belgicæ Curiâ Consiliario Regio.

TAndem verò intellexi, IDEAM meam HEROICAM in manus tuas non venisse

nisse. Per Generum meum miseram, quem postea sævus ille & popularis morbus abstulit. Intereà temporis cùm exemplaria omnia distracta sint, & in museo meo bina adhuc serventur; reliquias istas ecce divido, ac superesse mihi librum existimo, non quem servo, sed quem mitto. Inspice igitur, & in publica jam lætitia, luctum præteritum vide: vide Principem, quæ satis lugeri non potest. Sequetur mox *PURPURA*, quam scripsi *AUSTRIACA*, ac tota hilaris, omnem tristitiæ nubem floridâ quadam novi Principis imagine dispellet. Quæ à Filio tuo *D. PETRO* scripta sunt, laudem sanè ac lucem merentur. Ostendit ille Oratione satis magnâ, quia bonâ quid ingenium possit eloquio exercitatum. Ego, ita me Deus, recreatus sum, vibratos acumine sensus videre, & elegantiam sine tumore magnificam, proprietatem sine vilitate familiarem. Sed judicium meum nuper expressi. Videat Princeps, quid Filius *ROBLANTII* possit: esse in juventute nostra, quos amare incipiat. *CNOBBARUS* quidem excudere Orationem paratus est: qui in *PURPURA* jam occupatur. Vale, Vir summe, & me semper ama. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Feb. CIↃ.IↃC.XXXV.

EPISTO-

EPISTOLA XXXI.

Bruxellam.

MARTINO DE MUNARREZ,

Ser.mo Principi à Secretis.

ATtollere etiam affectum meum incipio, & grandire cultum, postquàm ad majorem virtus tua honorem evecta est. Serenissimo Principi ab intimis Secretis esse, non cujusvis est. Huic Muneri te parem esse, Rex scivit, prudentiam tuam, integritatem, fidem æstimavit. Nostrum igitur est, gaudere, lætari, gratulari: omnium, meliora agnoscere fata temporum, quæ temperiem suam accipient. Silenda tuta erunt, scienda ornabuntur. Hâc etiam famâ Principis bonitas constat, bonos esse qui proximi & intimi sunt, nec posse reprehendi: hæc felicitas Principis, bonorum ministerio uti; quidquid enim hi agunt illi imputatur. Te sciunt omnes bonum esse, quia experientur, ad se quoque putabunt hanc felicitatẽ pertinere. Mihi quidem suaviùs erit, tractare deinceps studia bonæ mentis ac litte-

rarum, quæ cùm tuus complectetur favor, sterilescere benignitas Principis non sinet: intelliget autem riganda & fovenda esse, ne sterilescant. PURPURAM AUSTRIACAM strenæ loco offerendam præparaveram: sed acre quod passi sumus gelu typos illos præsertim Purpureos non parum impedivit. Etenim ut à colore quoque ornamenta adoptarem, quibusdam saltem in exemplaribus, puniceum illum usurpavi. Miraberis omnes rubere litteras potuisse, quæ noctis colore formosæ sunt. Sed CADMI Filias hæc verecundia decuit; imò hic splendor, ut quæ Purpuram explicarent, purpureæ ipsæ fierent, & Purpurato sic Principi placerent. Mora adhuc paucorum dierum erit, & veniam etiam neglectâ valetudine, librum allaturus: ab ipso autem Serenissimi Mæcenatis vultu vigorem ac robur capiam. Quid? Te complectar, & valebo: sic ipse vale, vive, & me amare perge, ante Amicus, nunc Patronus. Lovanii, in Arce, IV. Eid Feb. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTO-

EPISTOLA XXXII.

Venlonam.

JOANNI PUTEANO,

Fratri suo.

ET nos belli molem acri obsidione sustinuimus, læti, quia liberati. Deus opt. Max. servavit Urbem, humano propemodùm auxilio omni destitutam: servavit Provinciam Universam in una hac Urbe, quæ si vinceretur, sedes belli futura videbatur. Hostes igitur tractâ in Obsidione undecim dierum morâ, discessêre, fugientibus similes, fame, siti, morbis victi. Quid egerimus & passi simus, accuratâ scriptione designo, totam publicè Obsidionem repræsentaturus. Quæ bone Deus tempora! Meliora Deus dabit. Sed vos quomodò? Scribe ad me quæso, & fratrem Prætorem saluta. Lovanii, in Arce, Postrid. Non. Julias. ∞. IↃC. XXXV.

EPISTOLA XXXIII.

Bruxellam.

DIDACO ACEVEDIO

Turmæ Equitum Præfecto.

MAgnum beneficium Perillustri nomine tuo signatum est: quod filius meus MAXIMILIANUS an ego acceperim dubites, an potiùs uterque. Magnum vocavi, & geminum quoque est; ut geminam quoque deberi gratiam profitear. Prorsus ad felicitatem filii mei facere arbitror, vexillo eum donatum esse: ad majorem tuo. Geret vexillum, quod sequantur equites tui ac respiciant, ut fortes sint: ut rectè gerat, in exemplum sibi virtutis te Ducem suum proponet: dirigendus à promptissimæ manus ac mentis Domino CHRISTOPHORO CONTRERA tuo, quem cùm tuum dico, totum laudo. Minori igitur titulo filius meus tuus erit, & ego quocumque, cultum meum obsequiumque gloriæ tuæ semper delaturus. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Augusti. ∞. IↃC. XXXV.

EPIS-

EPISTOLA XXXIV.

Bruxellam.

PETRO VIVERO,

Societatis JESU, Concionatori Regio.

DOlorem meum quomodò satis exprimam? Verbis an lacrymis? sermone an silentio? Lugeo publicè virum, quem & privatim amisi. Lugeo Patrem, quem non aliter omnes appellant. Satis verborum est: lacrymæ utinam in sinum tuum fluant! Sed sermonem impedit dolor, & quia loqui nequeo, silentio augetur. Ad Deum me converto, ad te mi Pater, ut Deum inveniam, & ipsa Pietas doloris officium absolvat. Arma Duce, Litteræ Patrono destitutæ sunt: quis succedet? Spes igitur omnis in ipso serenissimo Principe Cardinali sita est. Hunc nobis Deus servet, & è luctu resurgemus. Te nunc rogo, Optime, Doctissime, Facundissime Pater, ut benignitatis tuæ in me radium derives.

ves. Solatium posco affectum tuum: sic enim desinam miser esse. Posco auxilium, quo laudare possim quem lugeo, à lacrymis ad verba, à silentio ad sermonem redire. Vale. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Septembris. ∞ . IↃC. XXXV.

EPISTOLA XXXV.

Mechliniam.

JACOBO ROELANTIO,

Equiti, Toparchæ de Henthaut, in Suprema BELGICÆ *Curia Consiliario Regio.*

AFfectum Filii tui PANEGYRICUM sedulò legi. Quid sentiam? Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. Suis sanè exsurgit nervis & ornamentis oratio, & tanquàm majestatem assumat, dignam se omnium oculis facit. In sensibus acumen est, in verbis splendor, in utrisque Affectus. Plura velis, meliora non desideres. Hæc enim eâ stili felicitate scripta sunt, ut placere vel ipsi possint, cui inscripta.

Agnosces

Agnosces filium; tuum ille ingenium atque judicium expressit. Amabis filium; ostendit ille hoc Affectu se tuum esse, præstare ingenio atque judicio, id est patrissare. PURPURA quidem mea ad Typographum missa est: quid si iisdem typis Affectus filii tui excudatur? Qui istam leget, hunc certè non aspernabitur. Vale, & quantùm doctrinam omnem, omnemque dignitatem litteræ atque Elegantiæ ornent, tuo sine ut exemplo publicè doceam. Lovanii, in Arce, prid. Kal. Jan. anni novi. ∞. IↃC. XXXV. Quem novus Princeps lætum faciet, & gloriâ suâ illustrabit.

EPISTOLA XXXVI.

Bruxellam.

ROBERTO MALDEGEMIO GRIMAREZIO,

Legionis Fontanianæ Legato.

VIrtutis ac Nobilitatis tuæ genium veneror, qui litterarum & librorum elegantiis delectatur. Arma sanè his potissimùm ornamentis arma sunt, & hinc lumen, ubi famam merue-

meruerint, capiunt. Ego ut in Litteris Librisque versor: ita quoties ævi Antiqui lego virtutes, scribere nostri gestio: nostrum cùm antiquo comparare. Magnam & luculentam hic annus materiam dedit, egregiis facinoribus illustrior, quàm calamitatibus miserior; stilo certè & ingenio scribentium dignus. Me nec munus meum silere sivit. Scripsi HISTORIAE BELGICAE librum singularem de OBSIDIONE LOVANIENSI, complexus obiter, quæ ad belli totius fortunam, & vicinarum constantiam Urbium faciunt. Virtus hæc profectò Præfectorum fuit: tua fuit, quâ animati sunt, qui præcipuè videbantur peti. BRUXELLENSIUM igitur gloria cùm tua conjuncta est: quam utramque paucis quidem verbis ad præsentem vocavi HISTORIAM; ut majore opere & occasione prosequar. Hoc officium meum consiliumque si placere intelligam, magis magisque pergam virtutis ac Nobilitatis tuæ genium venerari. Vale, & conatum meum tuo quoque patrocinio dignare. Lovanii, in Arce, III. Non Ianuarii. ∞. ІↃC. XXXVI. Quem prosperum & gloriosum nomini virtutique tuæ magno cultu voveo.

EPIS-

EPISTOLA XXXVII.

Bruxellam.

EIDEM.

MAlè litteras colam, nisi virtutem in viris Magnis Bellicam venerer. Meum certè hactenus ingenium hoc studui conatu attollere; meum nomen alienâ famâ. Sic igitur illustriorem jam puto HISTORIAM OBSIDIONIS LOVANIENSIS fore, in qua ALDEGHEMIA & virtus, peculiari titulo Fidelitas legetur. Quâ potissimùm formulâ usus sum, & quâ studia tibi, mea commendare ausus, schedula adjuncta indicabit. Si non peccavi, permitte ut majori cultu Familiæ me MALDEGHEMIAE devoveam; imò permitte ut etiam patrocinio deinceps scribam. Ita licebit sanè, & litteras colere, & virtutem in Viris Magnis bellicam venerari. Vale. Lovanii, in Arce. Prid. Eid. Ianuarii. ∞. IↃC. XXXVI.

EPIS-

EPISTOLA XXXVIII.

Franekeram.

N. SCHOTANO, *V.C.*

NEc ignotus mihi, nec σχολικὸς SCHOTANUS est; quamvis remotus, & modestiæ quodam velo, imò vallo circumseptus. Ingenium eruditione accensum, tanquàm flamma lucet: nebulas & nubes vincit, & quidquid tenebrarum est. Tuum igitur è caligine mea video, & simul exsurgo, ut venerer: scintillam video, & velut testem doctrinæ tuæ, elegantissimæ indolis juvenem; & quidni complectar? Rari tales sunt: sed qui sic amantur, facilè ad laudem veniunt; qui sic laudantur, cujus non amorem impetrent? Meum puta, quem scriptionis officio, & simul Elogio ostendis tuum esse: quem commendas, ut facias meum. Atqui ego illum tuum, imò jam meum avidiùs amo, ac libentiùs laudo; ut tuus fiam, & tu meus: quo reciproco nexu, & mea umbra tuo lumine obscura esse desinet, & tuo lumini ab umbra mea robur accedet. Vale, &, si amari mereor,

er, coli te sine. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Feb. ∞. IↃC. XXXVI. Cùm tuas recenter accepissem. Tempora hæc quamvis studiis nostris amica non sint; nos tamen & tempora & studia nobis vindicemus.

EPISTOLA XXXIX.

Bruxellam.

OTHONI ZYLIO,

Societatis JESU, *Theologo & Philologo.*

MUnusculum mitto, *HISTORIAM* in quam meam, & beneficium peto; ut Excellentissimo Comiti *NASSAVIO* candidissimum animi mei cultum insinues. Si legerit, felicem me putabo: faciliùs autem, quia liber magnus non est: parvum autem reddere, etiam formâ conatus sum; quam intelligo sic jam plerisque placere. Me alia quoque caussa impulit; ut in tanta papyri inopia, pretii compendium haberetur. Character interim nitidus est, & mediocritate suâ allubescens. Sed te rogo, ut omnibus his neglectis,

quod propriè meum est, inspicias, *fartum vestiu*, ut cum COMICO loquar, non vestem. Judicium tuum, novum etiam beneficium erit: facies emendatione severâ, ut quod munusculum est, munus aliquando fiat. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, XIII. Kal. April. ∞.IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XL.

Bruxellam.

FERDINANDO SANCHES, *Ord. Erem.* S. AUGUSTINI, *R.*[mi] *Patris Confessarii Principis Cardinalis Socio, nunc Episcopo Agrigentino.*

TUus me lætum favor, imò felicem facit: i... ille è mero amore profectus; gratiis velut rad... iis stipatus. O pectus aureum, è quo nō possunt nisi gemmæ profluere! Hinc igitur derivo, quod divitijs melius ac pretiosius est: non poss... um enim, nisi quot verba, tot solatia imò gau... dia interpretari. Totum sermonis tui cando... rem ad me perscripsit Elegantissimus BL... TTERSWYCKIUS meus; adeoque

adeoque permovit, ut silentium, tanquàm piaculum, censerem. Scribo ecce, & ut calami compendio exprimam omnia, TUUM me profiteor. Itaque in me, in studia mea & scripta imperium habe: quæ mea deinceps putabo, si tua sint: tuo illo erigenda favore, fovenda amore; ut te digna fiant. Hoc jam ago verò, ne jaceam, langueamque; aut curarum mole generosæ cogitationes obruantur. Quid enim? In Arce familiam, sed copiosam, impari quoque proventu alo: subsidii caussâ vineam Arci proximam, in usum meum à Serenissimo Principe FERDINANDO AUSTRIACO petii. Bene sperandum esse Amici omnes jubent: Sed ego hîc favorem tuum, imò amorem tuum implorare audeo. Tuum & sic R^mi. Patris Confessarii, mei, & litterarum Patroni; ut voti compos fiam; verè lætus & felix esse pergam. Vale. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Aprilis. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XLI.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCHOTIO,

Supremo Belgicæ Thesaurario, postea Brabantiæ Cancellario.

CONsolationem debebam, & ipse totus in mœrore jacui, tot jam amicis & propinquis orbatus, ut ipse non nisi funus videar. Optimum illum tandem etiam Fratrem meum JOANNEM PUTEANUM quomodò satis lugebo? Fuit in eo viro verus candor, plena probitas, erudita industria, amabilis elegantia, virtus denique majore & munere & honore digna. Tua illi viventi propitia semper humanitas fuit: ut nunc quoque sit mortuo, per ipsam virtutem rogo. Ecce mœstissima superest vidua, & parvi liberi: qui tamen non videbuntur vivere, nisi affectu & favore tuo fruantur. Ejusmodi etiam petitio est, ut favorem mereatur. Quid opus est verbis? Rogare

re malo, quàm supputare. Facilè etiam, ubi integritatis momento caussa libratur, mitigato rigore humanitas præponderat. Lætior ero, ubi compositum hoc esse negotium intellexero: totum autem mœrorem meum, cùm sermone hîc tuo & affectu fruar, deponam: cùm filium tuum incomparabilem & ad summa surgentem, triumphare ingenio conspiciam. Sic Vale, ô decus meum, & me ama. Lovanii, in Arce, III. Kal. Jun. CIↃ. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XLII.

Bruxellam.

MICHAELI DE SALAMANÇA,

Equiti Ordinis S. JACOBI, *Ser.mo Principi Cardinali Belgarum Gubernatori à Secretis & à Consiliis status.*

ALii, ut beneficium petant, in notitiam priùs gratiamque se insinuant: ego con-

tra, ut me insinuem, beneficium peto, familiariùs deinceps virtutes tuas veneraturus. Beneficium, non mihi, sed Amico: quod si impetravero, videbor etiam ignotus non fuisse: sin minùs, incipiam tamen non esse. Curæ meæ LITTERAE sunt,& SAPIENTIAE studia: non otiosa illa, & scholis clausa; sed quæ ad Rempublicam faciant; decus, non lucrum spectent. SAPIENTIAE quoque pars est, de Bono & Forti bene mereri. Hic ille talis, VINCENTIUS VANDENDRIESIUS, in hac ætate Virtutis pręmio dignus. Militiæ magis, quàm domi educatus, MARTEM à puero induit,& plura sine stipendio stipendia fecit, non unius pugnæ feliciter pugnatæ, nec unius Urbis prosperè occupatæ pars, suo hostilique sanguine perfusus sæpiùs, & sic formosus. Beneficium igitur quod peto, est; ut huic Bono, huic Forti in petitione præmii singulari affectu faveas: id enim erit crescenti adhuc Virtuti nutrimenta dare. Magnus aliquando erit, qui jam strenuus: arbor erit, qui jam surculus, sed si foveatur. Satisne audacter beneficium petii? Petii, tanquàm ipse accepturus. Sic verò ignotus jam non ero. Vale. Lovanii, in Arce Regia. III. Kal. Junii, ∞. I Ↄ C. XXXVI.

EPISTOLA

EPISTOLA XLIII.

Romam.

FRANCISCO BARBERINO,

S. R. E. Cardinali.

EPistolâ tuâ nuperâ, tanquàm novâ luce, recreatus sum, cùm involuta adhuc tenebris suis Musarum studia haberem. Hactenus enim apud Belgas quid nisi nox fuit, belli tempestate horrida, non unam secum ærumnam trahens? Obsidionem quidem Urbis hujus repræsentavi nuper: quæ secula sunt mala, oblivisci malo, quàm scribere. Quippe cum dolore, sine fructu memoria est. Ut aliquid verò posteà agerem, annum consideravi, DE BISSEXTO scripsi, & novam TEMPORIS FACULAM appellare ausus sum. An mittam igitur? Sed nomen suum amittet, cùm in conspectum tuum, & Purpuræ lucem veniet. Veniet tamen, & fortassis evanescet. Majori fiduciâ CIRCULUM mox URBANIANUM in manus sumam, quem vexare, ut audio, Paralogista URBINAS pergit. Et quousque laudem? Ut dicat, solem non lucere? SEXTUS EMPIRICUS

 diem

diem non esse, disputavit olim, ut subtilis esset: sed ab hac laude novus iste *PYRRHONIUS* multùm aberit, quàm multa nesciat, scientiâ suâ ostensurus. Nunc si permittis E. D. etiam pro Religiosis Minoritis Belgis intercedo, ut ad missionem Batavicam admittantur. Res ista apud E. Cardinalem *ANTONIUM BARBERINUM* agitur, ac breviter hac schedâ explicatur. Quia favore digna est, rogo ut & suam Purpura tua opem adjungat. Vale, Eminentissime Princeps, & me ama. Lovanii, in Arce, Nonis Septemb. ꝏ. I Ↄ C. XXXVI.

EPISTOLA XLIV.

Bruxellam.

AURELIO AUGUSTINO MALINÆO,

Equiti, in Suprema Brabantiæ Curia Senatori, posteà in Sanctiori; ac jam demũ in Summo Senatu Status Belgici in Hispaniis Consiliario Regio.

DE libris meis hîc cum Illustrissimo D. Cancellario egi: cujus humanitatem benevolen-

neuolentiamque satis deprædicare non possum. Eâ fiduciâ quâ tuas virtutes candidissimumque in me affectum colo, Centuriam Epistolarum secundam è novo apparatu ad *D. BLITTERSWYCKIUM* familiarem meum miseram; ut in manus tuas, Privilegij impetrandi caussâ veniret. Nunc rogo igitur ut quemadmodùm à Consilio sanctiore potestas excudendi facta est, fieri à *BRABANTIÆ* pariter velis. Consensu tantùm opùs est. Universale enim à Rege Privilegium habeo: hac verò cautione, ut libri mei Censuram Regiam subeant, priùs quàm publicentur. Post illam Amplissimi *D. CORBELII* tua mihi Regia est, & velut sacrosancta erit. Quemadmodùm auctoritatem tuam ambio, ita humanitatem imploro. Recipere Centuriam, beneficium erit: maturè, geminum. Cur festinem verò? Ut Illustrissimo D. Cancellario, cui inscribendus hic liber, cultum meum citiùs persolvam. Subsequentur verò plures ordine Centuriæ, & sæpiùs audebo molestus esse, ut totâ humanitati tuæ ratione studiorum obstringar. Sic vale Amplissime *DOMINE*, & toti me Consilio mancipa. Ut quæ de *BISSEXTO* scripseram, tradi typis possent, ipse Illustrissimus D. Cancellarius permisit. Exemplar mox ad

ad Amplitudinem tuam missurus sum, quam toto animo veneror. Lovanii, in Arce, VIII. Eid. Septemb. ∞. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XLV.

Bruxellam,

N. VLEMINGIO,

Ærarii Belgici Sanctioris Consiliario & Grapbario.

VAria fortunæ tempestas est: & quis obsecro, non jactatur? Funera passim, velut naufragia sunt, ac moriuntur plerique citiùs quàm ægrotant. Sic Optimus tibi Pater abreptus est, sic frater; ut tu salvus esses, virum & constantem te exhiberes. In Deum quis insurgat? Illi sic visum est, in cujus omnes potestate sumus. Sed pater ideo pater erat, ut tu post illum esses: frater ostendit, etiam mori filios posse. Quid igitur est mori? Ad Deum redire, in portum invehi, miserum jam non esse. Imò quid est mori? Vitæ semper anxiæ curas vincere, ac de rebus humanis triumphare. Nobis igitur, dum vivimus, lucta

lucta relicta est; suspensa semper mœrore gaudia, metu vota. Semel animus vindicandus est, & læta ac secura omnia erunt. Ferre decet eorum mortem qui naturæ ordine nos præcedunt: nostram exspectare, quæ semper in propinquo est. Interim vitam esse vitam cogita, inter lucem ac caliginem dividi, inter gaudia ac dolorem. Ad Deum mens assurgat, & læta erit: rationem sequatur, & facilè quæ fortuita sunt, negliget, quæ peritura, contemnet. Nunc sortem quoque meam vide: fratrem & ego amisi, quem Optimum integerrimumque fuisse, & longiori dignum vitâ, etiam invidi dicent. Ille verò me junior erat, & longiorem Virtuti materiam ordiebatur, sedulus & accuratus in omnibus: infelix tamen ubi laudatissimus erat: in labores sumptusque tractus, quia fidem obsequio implevit. Quas turbas quatuor illa millia promptissimè soluta dederint, dolendum magis quàm referendum est. Putes, sic implicitum jam tum mori cœpisse: non adhuc quiescere mortuum quia quod reliquum est curarum molestiarumque in mœstissimam viduam redundat. Quid nunc illa petat, nosti: ne frustrà petat, tuam etiam opem confer. Ad Illustrissimum Finantiarum Collegium scripsi: seorsim etiam Marchionem LEBOUR-

GIUM

GIUM & Thesaurarium KINSCHOTIUM interpellavi. Res ejusmodi profectò est, ut moderationem mereatur. Sed longior sum. Compones animum in tuo luctu: nos in nostro tuum sequemur. Vale, & me ama. Lovanii, in Arce, prid Kal. Octob. CIↃ. IↃC. XXXVI.

EPISTOLA XLVI.

Bruxellam.

EMANUELI DE GUSMAN,

Equiti S. JACOBI, *Magno Principis Eleëmosynario.*

Librum de BISSEXTO, Regi inscriptum, Illustrissimâ Manu Tuâ offerre serenissimo Principi Cardinali ausus sum, & hac simul occasione Sacellum Arcis Lovaniensis Regium, sed necessario ornatu destitutum commendare. Filius meus quæ dicenda erant, dixerit: sed me nunc ipsa pietas stimulat, ut quod Deo, quod Regi, quod loco debeo, paucis saltem verbis explicem. Sine imagine altare est, in quo quotidie sacrum pro

pro Animabus DUCUM BRABANTIAE dicitur: in quo pro salute Regis Principisque Deus interpellatur. Hoc illud Sacellum est, in quo audire quotidie sacrum CAROLUS V. adhuc adolescens, & studia tractans, solitus, propitium semper habere Deum meruit: ipsâ suâ fortunâ ostendens non minus Pietate, quàm Armis pugnari. Fac Illustrissime Domine ut suâ liberalitate hoc Sacellum hoc altare dignum serenissimus Princeps censeat; ut post Arcem restitutam, in Arce Rem quoque Divinam restituat; ut quod Serenissima ISABELLA sub finem vitæ facturam se addixerat, in gloriam suam Regis Frater transferat. Ita nomen quoque tuum in hac Arce, in hoc Sacello, in hoc altari legetur. Hoc rogo, & per Pietatem ipsam rogo, quâ hostes suos omnes Rex vincet, felicissimam quidem potentiam suam Dei Manu facturus: Manu Virginis, quæ Deum peperit, & in imagine ponenda repræsentabitur. Ita vale illustrissime DOMINE, & me ama. Lovanii, in Arce, Kalendis April. ∞. IↃC. XXXVII.

EPIST-

EPISTOLA XLVII.

Borburgum.

JOSEPHO REGIO, V. C.

COpiosum affectum pauca omnino verba includent, sed calida, candida, mea: sic etiam atramento meliora. AMO & ternæ hæ litteræ longam satis epistolam facient. TE AMO, & sic complector insignes dotes virtutesque tuas, Veras veri Amoris radices ac fomites. Pignus addo, ac ne mutum quidem, si, quæ publicè loquor, privatim æstimas: Librum, inquam, DE BISSEXTO: cui Dierum indicorum διόρθωσις adjuncta. Regi inscriptus est, ut à tanto etiam nomine legendi desiderium assumas. Ad Optimum Nobilissimumque PASSALAQUAM Centurionem tuum, quem etiam affinitatis caussâ æstimo & observo, jam non possum. Faciam verò quod rogat, cùm jubere possit, imò quod meretur. & hoc ampliùs erit, quàm scribere, gratius, quàm breviter. Tu vale, illum saluta, à me, uxore,

uxore, liberis. De stellis adhucquæris? Dispositæ sunt: an propitiæ? Si ipse volueris. Nihil Cælo, nihil Fortunæ debes, si te cogitas Virtuti natum esse. Hæc utrique imperat: hæc te locabit Cœlo, Stellamque faciet. Iterum vale. Lovanii in Arce, Nonis Aprilibus, ꝏ. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA XLVIII.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. Jacobi, *Legato Regio.*

At tu me, mi Heros, Amicum & magnum appellas: quo titulo Astris mehercle insertus snm, & jam immortalis; imò verò Litterarum studiis redditus, tanquàm tuo vivere nunc demum beneficio incipiam, cum Fortunæ, ut sic dicam, umbris hactenus colluctatus. Litteræ Regiæ quantùm potuerunt! Quantùm affectus tuus! Ecce & hîc mihi stipendia, quæ reliqua erant, decreta sunt, magna

gnâ Principis Cardinalis, & eorum qui Ærarium administrant Regium, benignitate. Illustrissimus Præses tam suaviter hac mecum occasione egit, ut genium RAMIRESII exprimeret. Res igitur in vado est: de qua distinctiùs mox scribam, relaturus ad gratiam calamum, suâ jam tranquillitate animosum. Sed placuisse Tibi DIORTHOSIN nostram vehementer gaudeo, imò verò glorior. Quicquid erit, Tuo id totum accedet Nomini: quod mihi in omnibus sacrosanctum erit. Utinam verò ipse DE BISSEXTO Liber, Regi inscriptus, gratus sit! Erit autem, si & Tibi placuerit. Nunc opera mea omnia paro, hortante atque adeò adjuvante Illustrissimo LUPO nostro ZAPATA, mellitissimo litterarum corculo. Audebo verò etiam à mole laudem exspectare. COMITEM DUCEM quidni peculiari volumine venerer? Tuâ hîc quoque humanitate opus erit, ne libertas mea pudefiat. Tantum peto, quia Amicum me nominas: tantum usurpo, quia & Amicum Te, & Patronum experior. Semper experiar! Semper tibi vivam, *Quod superest avi, si quid superesse volunt Dii.* Licétne ex eodem Venusino? *Sit bona librorum, & provisa frugis in annum Copia,* & reliqua in me vota profligabo. Profligo, mi Amice, mi Patrone: quia cô-

pia tuo nunc beneficio adest, *ne fluitem dubiæ spe pendulus horæ.* Ut omnia dicam, felix sum, quia Tuus sum: Tuus autem, per æs & libram tibi emptus, Tibi mancipatus. Lovanii, in Arce, prid. Non. Junii, ∞. ɪↄc. xxxvii.

EPISTOLA XLIX.

Bruxellam.

BARTHOLOMÆO WISSENIO,

V. C.

Suaviter tu mecum & amicè, mi Wissenī; imò seriò ac prudenter. Sed an aliæ litteræ essent, quàm sermo? Indoles ista tua amabilis est, quâdam simul genii maturitate assurgit: ætas florida & mores viriles. A studiis sic igitur rectè ad negotia itur, si à studiis tamen non abitur, quæ tractari ubique queant. Quid si dicam, inter studia, facillima negotia? Prudentissimus ille tuus Rodenburgius judicet: qui solus pænè intellexit, quænam hominis vita ad sapientiam & feli-

citatem proximè accedat. Talem Virum quidni libenter complectar? Ego, uxor mea & liberi eum rogamus, ut propediem ad nos excurrat: sed cum Conjuge sua Optima, & nunquam satis laudanda, ut totus adsit, nullâ curâ, nullo affectu divisus. Ut propitius hic aër est, corpore & animo valebit; fertilis, si quid facturus, si quid dicturus est. Suave hîc quoque & fructuosum erit de Republica agere & loqui, studia, tanquàm condimenta miscere. Felix si virum famâ magnum, lare & Bibliothecâ excipiam. Vale, & D. HOWAERTIUM, Virum Reipublicæ aptum nomine meo complectere. Lovanii, in Arce, v. Eid. Julii, CIↃ. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA L.

Dunckercam.

ISAACO VANDERMYE,

Societatis JESU, Theologo & Philologo.

ETiam acria quædam Amoris verba sunt, & ad majorem suavitatem faciunt: tua sunt,

ſunt, tanquàm vino & melle mixta. Hem, dum accuſas, excitas; ego verò è ſilentio velut ſomno expergefactus, avidâ calamum manu arripio, & vocis imagine hoc unum nūc ago, ut vivere me videas & vigilare. An aliter amorem meum exprimam? Cepit me ſuaviſſimus ille pietatis, eruditionis, humanitatis tuæ genius, & conſtrictum tenet: arctiùs etiam, quia abſentem. Non ſcripſi? Et hæc Amoris fiducia eſt: quâ faciliùs uſus ſum, dum abfui, dum negotiis (non enim ſtudiis) operam hîc poſtcà dedi, tanquam abeſſem. Res Quæſtoribus fuit utcumque difficilis ſemper, quia pecuniaria; difficilis & hoc tempore quo rarum MINERVAE Ἄρης ille βροτολοιγὸς concedit. Ille, inquam, ſic dictus, non ſolum quia τοὺς βροτοὺς φθείρει; ſed quia τοὺς βροτοὺς λέγει, in ſomnum, inquam inducit, ſed longum, ut placet EUSTATHIO. Sic igitur mortui dormiunt, imò ſilent, ſed cum vita amicitiam ſimul omnem exuunt. Sic mortuis ipſe ſimilis fui, dormivi: diſſimilis ad te, me redii, qui à te nunquam diſceſſeram, nunquam diſceſſurus ſum. O meliora quoque nobis redeant tempora! O exulent Arma & Armorum Deus,

——— ὃς ἄλλα ᾔδει θέμιστα!

Hoc votum meum eſt, & bonorum omnium. Meum quoque, ut poſtliminiò te videam &

audiam; alloquar & amplectar. Sic felix ero, & verè vivere demum incipiam. De rebus meis ad Patrem STEPHANUM scripsi, Vale, & cogita litteras tuas meras mihi omnes delicias fuisse: ultimis, ut dixi, verè excitatus sum. Iterum vale, PICTURA & POESI te oblectà ut valeas. Lovanii, in Arce; III. Eid. Augusti, CIↃ IↃ C. XXXVII.

EPISTOLA LI.

Bruxellam.

BALTHASARI NARDO,

Philologo & Protonotario Apostolico.

SIlentii agnovi delictum, postquàm nomine tuo gemma Viri Gener meus BONVICINIUS plenâ virtute & eruditione candorem professus, mecum expostulavit. Ille quantùm me amat, tantùm doctrinæ tuæ ac prudentiæ tribuit: ego autem tanquàm litterarum dilatione non peccarem, aliquâ amicitiæ fiduciâ usus sum. TACITUS ipse, quia examinandus erat, taciturnitatis mihi caussa fuit. Fuit, qui loquentem, ut sic dicam, No-

tis

tis suis Tacitum fecit, & hîc tacuit. Sed an facem accenderem, ubi diem esse arbitratus sum? Ubi nullam ipse LIPSIUS noctem deprehendit? Adhuc non video, quomodo obscura OTHONIS verba sint, facili ardore prolata, & quasi ipsâ brevitate luceant. Ad Imperium adspirans, & solâ temeritate securus, cruentis erexit ambitionem consiliis, per cædem & sanguinem GALBÆ, nec non PISONIS (modo auderet) feliciter grassaturus. Ait: *Opportunos magnis conatibus transitus rerum; nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies quàm temeritas.* Transitus rerum, mutationes publicæ sunt, sive μεταβολή: Magni conatus, libido dominandi. Hoc loco, dùm res mutantur, & à GALBA ad PISONEM adoptione *transeunt* rapi *opportunè* Imperium posse, OTHO sibi persuadet, ansam Fortunâ præbente. Ita sanè dixerat: *Agendum audendumque, dum GALBÆ auctoritas fluxa, PISONIS nondum coaluisset.* Ipse TACITUS, quasi sim interpres: *OTHONI compositis rebus nulla spes, omne in turbido consilium.* Quid plura? Satis, ut opinor, sic quidem sententia mea explicata est: quæ si placebit, simul silentii mei delictum expiabit; sin minùs, nullâ culpâ intermisisse responsum videar. Levius enim erat tacendo, quàm malè interpretando peccare. Vale, &

sic me deinceps ama, ut semper amasse videare. Lovanii, in Arce, Kalendis Jan. ∞. IↃC. XXXVII.

EPISTOLA LII.

Antverpiam.

MICHAELI DE SALAMANCA,

Equiti Ordinis S. JACOBI, *Ser^mo Principi Cardinali Belgarum Gubernatori à secretis & à consiliis status.*

A verbis ad animum confugio, ut quia dicere satis magnas pro incredibili benevolentia gratias nequeo, cogitatione persolvam. Etenim epistola tua quid nisi divinam quandam naturam explicat, quia ad omnem se humanitatem dilatat? Sed ubinam tam felix sim, ut tantum aliquando hospitem qui se Amicum profitetur, in hac Arce Regia excipiam! Nascetur, ut spero, à nova aliqua expeditione occasio, si Serenissimum Principem

Principem Cardinalem ad novas etiam per hanc Urbem noſtram victorias contingat proficiſci. Vocare quidem TRAJECTUM videtur, iniquo nimis hoſtium jugo miſerè preſſum, ac recentes cruentatum. E qua Urbe Batavus non ſoli minari BRABANTIAE videtur: ceſſurus, ſi oppugnabitur. Hæc publica: privatim verò ratione BLITTERSVVYCKII, Amici mei, & ad Reipublicæ negotia nati, vehementer debeo, tam officiosè ac promptè Cancellario BRABANTIAE commendati. Hæc quidem obligatio major etiam verbis eſt, ac ſuſpenſum me tenet; ut de ingenii aliquo hoſtimento cogitem. Audebo certè Epiſtolarum Centuriam offerre, publiceque profiteri, me ſummo jure TUUM eſſe. Lovanii, in Arce, prid. Kal. Sextil. ∞. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA LIII.

Bruxellam.

ANDREÆ CANTELMO,

Flandriæ Præfecto, & posteà Catalauniæ Proregi.

ETiam post labores, te fortem & victorem fuisse, morbus, de quo intellexi, indicat: ex iis haud dubiè natus. Sed eo nunc tolerandus animo, quo superare hostes soles. Nostrum est, dolere & angi, imò vota concipere, ut quamprimùm convalescas. Sanè non quiescam, imò sanus ipse non ero, nisi te sanum intellexero. Tantisper igitur, quemadmodùm aliis imperas, Medicis nunc obnoxius esse velis, & ex eorum vivere præscripto, ut vivas. Ad longiorem autem corporis serenitatem faciet, hac nubecula interceptam fuisse. Simul nunc me cruciat, D. *LAZARUM* decumbere: an graviter? Adhuc nescio. Filia mea ei solatiò esse poterit, quæ non

non minùs ægrotanti ſerviet, quàm valentem hactenus venerata eſt. Uxor mea febri tertianâ affligi cœpit: ſic ubique morbi nunc ſunt, & docent, fragilem mortalium conditionem eſſe; ſolida in animo bona collocari. Hæc à Virtutibus pendent: de quibus quod ſcripſi volumen, paratur editione; tuum, etiam tuo nomine futurum. *LÆLIUM CATONEM, BRUTUM CICERO* ſcripſit, vario argumento: ego *CANTELMUM, BIVIUM VITÆ HUMANÆ* daturus. Interim Epiſtolarum Centuriam novam hac inſcriptione admittes, & me amabis, Illuſtriſſime & Excellentiſſime *DOMINE*, æterno Litterarum Sacramento *TUUM* Lovanii, in Arce, Non ſeptembris. ꝏ. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA LIV.

Bruxellam.

FRANCISCO DE PACHECO,

Marchioni de Seralbo, Summo Aulæ Præfecto.

Filius si Parentem repræsentat, nuper tibi adfuisse videar cùm præsens, ut sic dicam, adessem: nunc absens loquor, & quia Litterarum tracto studia, Doctissimo Principi obsequia audeo mea offerre. Felix BELGICA tam raro gloriæ exemplo! Et ego tam sublimi, quod ambio, eruditionis patrocinio! Nomen tuum, quod publicè jubar est, mihi privatim præsidium, imò decus erit; si hoc jubare, præsidio, jubare, decore meum licebit illustrare. Quibus in tenebris jaceam, intelligere potui, postquam lucem, non dicam Fortunæ tuæ (plures enim Magni sunt) sed mentis ingeniique tui (pauci enim Æterni) adspexi & veneratus sum. Surgam igitur, & ad familiaritatem tuam incipiam & studia mea & vota attollere; juvenilem

in

in provecta jam ætate sumpturus Litterarum vigorem; quia auspicij tui fiduciâ calamum occupabo. Plura potero, si tuus ero; bona erunt, quæ scribendo & consecrando tua faciam, ut ipse fiam. Ita Vale, & feliciter redi; ut quem absentem jam alloquor, præsentem audiam, videam, colam. Lovanii, in Arce, x. Kal. Octob. ∞. ıↄc. XXXVIII.

EPISTOLA LV.

Bruxellam.

LUPO WALTHERO ZAPATÆ,

S. R. I. Comiti, Legato Regio.

ANimum meum respicis? Continuò scripsi: silentium curis molestiisque imputandum est; quæ in magna solent familia aliæ ex aliis nasci. Quæ verò ad elegantissimum *BLITTERSWYCKIUM* nostrum litteræ, quia identidem mei faciunt mentionem, directæ, imò missæ ad me quoque videntur. Pleræque *BRUXELLA LOVANIUM* transferuntur; earumque lectione, tam suaviter imbuor; ut quæ gravia

via sunt, vix sentiam, tuas virtutes tanquàm solatia rerum contempler. Quantæ verò molis sit optatam Populis pacem (quod facis) tractare, perspexisse utcumque videor. An me hostium fallit genus? Quia armis adhuc feroces sunt, consiliis insolescunt. Quasi pares bello pacem possint fastidire. Noster illis candor animos addit: illi contra candori nostro versutiam objiciunt. Nos faciem adferimus, illi larvam: nobis compendia placent, illis ambages. Utinam verò tam facilè ad sincera consilia veniant, quàm ad adversa & fucata difficulter nos abripimur! Fœdera quibus fulciuntur conditionibus, resecanda sunt. In sociis victi, de belli successu desperabunt, & arma sponte deponent. Sed hæc quid ego in medium adfero? Quasi facem accendam ubi solis jubar radiat, ubi prudentia tua diem facit, viam à diverticulis distinguit, insidias à securitate. Sed hæc jam familiaritas mea est, quasi ad inverecundiam excedens, ut quia Legationis tuæ Munus considero, videre ausim ubi cæcus sum, loqui ubi tutissimum est silentium, ipsemet experientiâ didici. Studia tibi quia præter negotia curæ sunt, non peccabo in effusam humanitatem tuam, si obiter de iis addam languidiù, hoc Autumno habitis, si non intermissis.

missis. Etiam Arcem hanc & amœnitatem invadere febris potuit, passim infesta ac sæviens, & familiæ meæ ministerium afflixit: miseri, sed sine funere fuimus. Ipsa deinde uxor mea correpta, insolito horrore æstuare vehementiùs cœpit, & seriò ægrotare. Totum jam mensem decumbens vix tandem morbum, frigidum nescio, an calidum debeam appellare, vicit, adhuc languida & lenta convalescit, quia morosæ admodùm vires redeunt, vehementer exhaustæ. Lato dicam verbo lethum evasit. Ego sic nunc etiam magis valeo, curas molestiasque, ingenii remoras magis magisque prosterno. Hactenus verò dum ego cesso, etiam typographi quasi ex compacto. In ultimis Centuriæ ut sic nuncupem Ramiresianae foliis diligentia Cnobbarae hæret, & quasi suspensa est. Urgere equidem non desino, missurus quoque Antverpiam denuò filium meum Justum ut præsens opusculum promoveat. In Hispaniam quoq; differo scribere, ut munusculum quod debeo, tandem mittam potiùs quàm promittam. Pompa nostra Prosphonetica hîc procedit, sed lentè. Jures pompam esse. Epigrammata Belgica aliquid etiam splendoris à typis capiunt,

piunt, pleno anni dierumque numero ad Populum mox reditura. Quid refert, quâ linguâ, si philosophari liceat. Ostendere volui me Belgam esse, qui latinè soleo scribere, publicè utilem esse, qui privatim vivo, in formandis civium moribus studia mea occupari. Vale Heros & Mæcenas meus, & me ama. Lovanii, prid. Eid. Octob. CIↃ. IↃC. XXXVIII.

EPISTOLA LVI.

Bruxellam.

FERDINANDO SANCHES,

Ord. Erem. S. AUGUSTINI, *R.*[mi] *Patris Confessarii Principis Cardinalis Socio, nunc Episcopo Agrigentino.*

MAgno nuper gaudio & litteras Reverentiæ Tuæ, & benignitatem litteris expressam exosculatus sum; quâ inter Ephebos honorarios filius meus H. P. admissus est. Quantum autem hoc beneficium sit, ex ipso honore intelligo, quo profectò & me & familiæ meæ fortunam injuriâ pressam temporum.

temporum sentio attolli. Tanquàm Patronum & Mæcenatem nactus sim, audebo felix esse, ac lætiori studia animo hactenus languentia ad fructum revocare. Vigorem sic quoque ipsa ætatis hiems capiet, leniori imbuenda favoris aurâ, & qualem R.T. Favonius spirat. Sic me & filium meum dedico. Vale. Lovanii, in Arce, IV. Non. Decemb. ∞. I Ↄ C. XXXVIII.

EPISTOLA LVII.

Bruxellam.

MICHAELI DE SALAMANCA,

Equiti Ord. S. JACOBI, *Ser.mo Principi Cardinali, Belgarum Gubernatori à Secretis & à Consiliis Status.*

EXspirante jam anno, & ad infimam delato metam Sole felicia novi temporis auspicia apprecor. Bene mihi, bene familiæ meæ, si tuam in tuto ac sereno valetudinem videam, & quæ reliqua vitæ sunt, ex voto ire. Ita merentur

merentur Virtutes tuæ: inter quas, cùm humanitas emineat, peculiari etiam in me familiamque meam affectu derivatur. Atque hujus non exigua pars MAXIMILIANUS meus est: & à me missus, ut petitionem suam nuperam, necessario jam ac luculento testimonio subnixam, Bonitati tuæ commendet: dignus præmio sive subsidio Regio, quia strenuus quacumque occasione, & plures jam annos: quia equi etiam non unius damnum tulit. Ego pro filio ago, quem ut militem robustiùs jam amo: imò pro milite, quem ut filium etiam ex officio cogor attollere. Felix ero, si alii viderint, etiam in militia aliquo loco PUTEANI nomen esse: gloriosus etiam, si à tuo favore hæc nobis Fortuna obtinget. Ita vale, vive & me ama. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Januarii, ∞. IↃC. XXXIX.

EPISTOLA LVIII.

Duacum.

JO. VINCARTIO,

Soc: JESU, *Theologo & Philologo.*

IRâ tuâ dignus eram Optime Humanissimeque Pater, & novo ecce munere recreor. Novo, inquam; & planè aureo, post gemmam pridem ad me humanissimè transmissam. DIVAM INSULENSEM nónne jure sic appello? Suis illam Cancellis, & nunc magis Elogiis suis splendentem? Hoc lumine perstringi potui, ut silentio potiùs quàm judicio Opus, Suadæ & Pietatis pretio divinum, venerarer: perstringi rursus auro; ut, si pauca jam dicerem, à novo silentii delicto removerem. Quia peccasse me agnosco, ad veniam etiam brevitate perveniam: sed nunc centum adjungo Epistolas, ut unius defectum suppleam; æs merum, si cum purissimo metallo tuo comparetur. CHRYSOSTOMUM scribis, & tu te Chrysostomum facis. Perge scribere, & coronam illam XII. radiorum ad-

ornare, ab hominibus & à Deo coronandus. Me amare perge, cui cùm irasci posses, novum dare munus voluisti. Vale. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Febr. ∞. I Ɔ C. XXXIX.

EPISTOLA LIX.

Bruxellam.

HENRICO DONGELBERGIO,

V. N. Urbi à Thesauris.

NOn satis ipse sagax heri fui, cùm sagaces syllabis suis expenderem; nisi enim ad duplicem consonantem confugiam, erroris reus sum; quem agnoscere certè malo, quàm more malo excusare. Tua igitur memoria fidelior imò promptior erat, quam libens suspicio: Eruditionem simul, illam memoriæ filiam; quæ & Nobilitatem tuam & Virtutem, & jam Dignitatem insigniter exornat. Thesauris præes, & ipse Thesaurus es; pretium à te ipso capis. Admitte quæso cultum meum, & audebo familiaris esse. Eruditio tua, quæ non potest non humana esse, hanc mihi fiduciam dabit. Dedit, scribo, ac mutatum jam Di-

Diſtichon Cenſuræ tuæ ſubmitto. Ita ſalve, & de me, tamquàm verè tuo ſtatue. Nobiliſſimo Ampliſſimoque Fratri tuo totum me devoveo. In Ædibus Langrenianis, x. Kal. Octob. ꝍo. I Ↄ C. XXXIX.

EPISTOLA LX.

Romam.

FRANCISCO BARBERINO,

S. R. E. Cardinali.

Liceat nunc mihi, ut verecundior ſit calamus, Viri hujus ore Eminentiam Tuam venerari. Is cùm loquetur, verba ipſemet videbor facere: in quo magnâ mei parte vivo. Gener meus eſt, imò veriore vocabulo filius, *LAZARUS BONVICINIUS*, gente Italus, adeòque *MUTINENSIS*, genere Nobilis, ingenio exercitatus, ſive belli artes, ſive pacis æſtimemus. Totam exprimere *PALLADEM* potuit; ut ſaperet, & armatus eſſet: duceret trecentorum ſuo imperio cohortem militum, & à bonis ſtudiis non recederet. Nimirum, qui plenam intellexit virtutem, gemino eam Antiquorum exem-

plo sectatus est, & togam sibi, & sagum vindicans. Sic carus Belgis fuit: carior Principi suo DUCI MUTINENSI, à quo in Patriam, & ad functiones principales vocatus est. Sed qui in BELGIO rerum arcana penetrare potuit; quidni & domi administraret? Inter alia vota, hoc primum fuit, ROMAM, illam olim Magnam, nunc Sanctam videre; Magnitudinis & Sanctitatis Solem, proximaque ei sidera coràm adorare. Rogo igitur, ut benigno eum vultu Eminentia Tua admittat, & loquentem audiat. Hoc enim erit, PUTEANUM ipsum admittere, & audire. Vale & vive Eminentissime & Reverendissime DOMINE. Lovanii, in Arce, x. Kal. Junii, ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LXI.

In Castra.

ANDREÆ CANTELMO,
Summo Militiæ Præfecto, posteà Catalauniæ Proregi.

SUmmo quæ imperio, Serenissimi Principis Auspiciis, regis arma, ut successu felicia sint,

ſint, Deum Opt. Max. continuò rogamus. Reſpiciet ille bonam, & ſuam cauſſam; ac Virtuti tuæ Fortuna obediet, ita jam notæ & amatæ; ut non minùs adverſa, quàm proſpera gloriam datura ſit. Sed proſpera erit, ſi conſiliis tuis locus: quæ ut optima, prudentiſſima, ac ſaluberrima ſemper ſunt; ita victoriam nobis pollicemur. Omnium igitur vota ſunt, ut Urbs, à Gallis obſeſſa liberetur, quæ feliciter adhuc à D. ONELLO, uti audivimus, propugnatur. Ejus Uxor tamen ſolicita eſt: & à Patribus Hibernis Recollectis petiit, aliquem è ſuis in Caſtra mitterent, qui de ſtatu rerum ex intervallo ſignificaret. Miſſus igitur hic P. BRANDANUS, annis juvenis, Pietate, Prudentiâ, & omni laude maturus: tam mihi conjunctus, ut ſi filium vocem, totum adhuc affectum non exprimam. Ampliúſne dicam? Si me, Magne Heros, amas, hunc meum benigno favore complectere. Erit id bene de me, ſed magis de ipſo D. ONELLO, ejusque Uxore jam afflicta mereri. Vale, unicum meum præſidium & decus, & vince. Lovanii, in Arce, die D. LAURENTIO Sacro, ∞. I Ↄ C. XL.

EPIST.

EPISTOLA LXII.

In Castra.

EIDEM.

PUblica & Regia arma, nos etiam, quantùm privatis possumus precibus votisque conamur promovere. Respiciet, ut spero, Deus audietque supplices; ut brevi liberam *ARTESIAM*, salvum ac triumphantem serenissimum Principem, in quo omnium versatur incolumitas, videamus. Quantùm nostrorum hîc ardeant animi Admodùm hic Reverendus Pater *BRANDANUS* Hibernus, veré bonus, pius, elegans, & mihi incredibili affectu familiaris, exponet. In Viro Religioso modestissimæ Nobilitatis genius relucet. Quemadmodùm totum D. *ANTONII* Monasterium Humanitati tuæ obstrictum est: ita nunc totum *BRANDANUS* Monasterium repræsentat: missus à suis in Castra, ut lætis inde litteris aliquid solatii Nobilissimæ Uxori D. *ONELLI*, & se ob maritum filiumque affligenti, mittat. Illa hoc sibi præstari officii postulârat, cui nihil negare

negare pietas potuit. Quare si quid in hunc Patrem, à Benignitate tua favoris veniet, in ipsam Dominam redundabit; in ipsum, ut omnia dicam, D. ONELLUM. Sic vale Illustrissime DOMINE & PATRONE, & nos felici reditu brevi recrea. Lovanii, in Arce, die D. LAURENTIO Sacro, ∞. IↃC. XL.

EPISTOLA LXIII.

Bruxellam.

N. OELVELTIO,

V. N.

Semel alloquio humanitatem tuam expertus, maluissem sanè nunc etiam ore quàm calamo verba facere; & benignissimè, quidem invitatus: sed non me sinit ætas, morbis vitiisque suis obnoxia, mei juris ac spontis esse; ut excurram hoc tempore, bona viæ vota coràm aperiam, intima simul animi obsequia dedicem consecremque. Ille amabilis & Heroïcus planè Genius tuus, sic me cepit nuper, ut vel ipso Damæ nomine recreer.

Quantus in ea sis, quâ nobilitate, decore, luce, non ignoro. Si Regem Solem dicimus, inter proxima te sidera veneramur: si à Deo ille, ut *HOMERO* placet, nutritur, Viri quoque Regii aliquid divini habent: nati, ut sibi boni magnique sint, aliis utiles; à quibus laudem, gloriam, famam exspectent. Hac fiduciâ commendare Nobilissimæ Generositati tuæ Amicum hunc meum audeo; ut quia bonus est, aliquo inter suos esse loco possit, non abjecto; quia meus est familiaritate, tuo quoq; se intelligat favore ac beneficio ad munus aliquod publicum ac honestum evehi posse. Sic verò æternâ obligatione tuus esse incipiam, & magno nomini tuo consecratus manebo. Lovanii, in Arce, IV. Kal. Septemb. ∞.IↃC.XL.

EPIST-

EPISTOLA LXIV.

Hercium.

GODEFRIDO WENDELINO,

Canonico Condatensi, Temporum Vindici.

TE quidem vel terra cælo, vel cælum terræ invidet, iterum morbo, unde unde ille est, velut nube involutum. Si corpus tuum speꝫto, in terra es, & quæ sunt hominis sustines: si animum, in cælo, & quæ hactenus ignorant homines, explicas. Hîc igitur nubes tanquàm morbi sunt; isti morbi tanquàm nubes: nec commodè potest, quando corpus jacet, animus officium suum exsequi. Sed profectò quantùm tibi in divinis contemplandis impedimenti est, tantùm nobis damni: ut terram accusem, quæ fæce suâ gignit nubium congeriem; cælum quoque, quia non dispellit. Si tamen hæc naturæ vices sunt nunc valere, nunc ægrotare; nunc æstatem esse, nunc hiemem, si quotidie nunc diem, nunc noctem; quæso, morbum in quietem computa, & dissipatis jam ærumnis, ad no-

vam studiorum alacritatem exsurge, ad novum quoque amorem mei. Tecum ægrotavi, mi frater: tuus morbus, meus dolor fuit; tua illa damna, mea vulnera; tuæ illæ curæ, meæ cruces. Quid igitur? Sanus, lætus, liber ero quando talem te complectar. Sed si priùs ad Ill.mum Præsidem scripseris, faxo in manus ejus epistola veniat, bona ipse verba, & negotio opportuna calente calamo adjecturus. Votum meum est, & bonorum omnium, ut in hac Academia nostra Sapientiæ quietem eligas; felix futurus, si alios voce & stilo feceris. Sic vale, & veni, ut consilia conferamus. Lovanii, in Arce, IV. Non. Octob. ∞.IↃC.XL.

EPISTOLA LXV.

Bruxellam.

CAROLO D'HOVINES,

Equiti, Toparchæ de Governes, Steenuberck, VVinckel, &c. Consilii Sanctioris Senatori Regio, nũc à Consiliis Statûs & Summo Belgicæ Præsidi.

SCribendi hactenus nulla mihi occasio fuit: necessitatem tantò amplector avidiùs, quantò

quãtò deinceps faciliùs erit ad familiaritatem obſequii calamum promovere, quemadmodùm Dignitas mihi tua venerabilis eſt; ita & virtus & prudentia; quam utramque in Arce mihi Lovanienſi, de qua nunc tandem controverſia movetur, vindicanda, implorare audeo. Audeo, inquam, jure & æquitate ſubnixus, quam quia adverſarius oppugnat, non poteſt mihi iniquus videri. Machinas & minas tantùm verborum promit; mihi gravis, quia quietem ſtudiorum meorum perturbat: moleſtus Sanctiori Conſilio Veſtro, quia in voluntatem Optimorum Principum ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EUGENIÆ, ipſiusque Clementiſſimi Regis inſurgit. Defenſio mea manifeſta eſt, rationibus ſolida, Diplomatibus munita, Præſcriptione quoque temporis invicta: quam tuæ ſic nunc inſpectioni & relationi commendo, juſtam juſtæ, ut repreſſo adverſario, jus mihi meum Conſilii Sententiâ confirmetur. Hoc rogo, & me totum offero: offero ſtudia mea, quæ niſi Arx mihi ſalva ſit, ſalva eſſe non poſſunt. Vale, Nobiliſſime & Ampliſſime *DOMINE*. Lovanii, in Arce, meâ induſtriâ conſervata, cùm ruinæ tantùm eſſent, VI. Kal. Decemb. ∞. I Ɔ C. X L.

EPISTOLA

EPISTOLA LXVI.

Madritum.

LAURENTIO RAMIREZ DE PRADO,

Equiti S. JACOBI, *Legato Regio.*

SI quantùm Virtuti tuæ & Dignitati debeo, tantùm affectui queam & Benignitati persolvere; pro beneficio recenter accepto, videar sanè gratus esse. Quia verba minora sunt, animum offero, & simul studia mea, quæ ut Regiâ liberalitate fulcirentur; Auctoritas tua effecit. Licebit igitur quod reliquum est ætatis tranquilliùs agere: quod reliquum est laboris, feliciùs impendere. Hęc jam vita erit, quam à te (gloriari fas sit) accipio, tuus etiam post mortem futurus. Sterilis hactenus mihi ille à Consiliis titulus erat, & solâ circumscriptus honoris luce: nunc stipendium accedit; neque tamen fructu quies mea delibatur. Integra Litterarum Professio est, integra librorum tractatio, ut verè

verè dicere possim, *Deus nobis hæc otia fecit* quæ ne otiosa sint, in tuum honorem erunt occupanda. Sic me ergo jam sine prorsus tuum esse, sic me post beneficium datum magis ama. Me, & liberos meos, qui cum Patre simul obligantur & assurgunt animo, ut grati quoq; sint, & incipiant, tuâ sublevati manu, Regi & Reipubl. se impendere. Major natu JUSTUS CAECILIUS est, litteris, bonisque Artibus, & rerum jam usu instructus. Is munus aliquod publicum, me ejus quoque nomine precante, petit. Aptum fore, hoc scio: ita etiam istud administraturum, ne quis de industria ejus, atque integritate conqueratur. Uxorem nuper duxit, atque prolem jam habet: totus jam in eo, ut familiam constituat, sed ut incipiat ostendere, quid publicè præstare possit. Magnum mihi sublevamen sit, eum promoveri: novum beneficium, si favorem tuum impetret. Ego intercedo, & rogo. Commendo Pater filium, me in filio totum Benevolentiæ Tuæ mancipo. Tuus jam Pater est: sit & filius. Sciet ille quantùm debeat Patris nomine, si & suo obligetur. Sic Bonitatem Tuam veneror Illustrissime DOMINE & PATRONE. Lovanii, in Arce, Eidibus, Decemb. CIↃ.IↃC. XL.

EPISTO-

EPISTOLA LXVII.

Bruxellam.

ANDREÆ CANIELMO,

Summo Militiæ Præfecto, postea Catalauniæ Proregi.

HIc ille Amicus est, quem nuper commendavi. Unus è mille, & singularis: cujusmodi si plures sint, fortunam Virtus non accuset. Dignus affectu tuo est; dignus favore, dignus familiaritate: verè miles, cui non negotia tantùm, sed pericula rectè committas. Hactenus Centurio, quem gradum non petiit, sed accepit. Ille enim mereri, non ambire novit. Ut verò apud te auderet unus agere, quod multi, ego ei Auctor fui. Nam ad arma paratior, quàm ad verba, me petitionis suæ interpretem habet. Rogo igitur, ut ad molliorem affatum virum fortem magis, quàm eloquentem admittas, imò rogo, ut majorem tuo favore, esse velis: si tamen major fieri possit, qui à Centuria ad Centuriam Centurio, virtuti suæ aptiorem, transferri cupit.

cupit. Merita ejus Serenissimo Principi heu, extincto! Nota erant. Unum restat, ut & tibi sint: ita enim Principem recuperabit. Sed quorsum repeto, quæ nuper scripsi? Ad virtutem & fortunam ipsam militiæ facere arbitror, hunc Amicum voti compotem reddi. Non ut quiescat, sed magis occupetur, animum aperit. Quia fortis est, tuus sit, & felix erit: ego aliquando gloriabor à me commendatum esse. Vale Magne Patrone, & ab hac nunc scriptione magis me ama. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Feb. ∞. IϽC. XLI.

EPISTOLA LXVIII.

Lovanii.

HENRICO LOYENS,

J. U. Doctori & Professori Regio, posteà Cameræ Bipartitæ Consiliario, nunc in Academia Lovaniensi Legum Antecessori Primario.

AD magnum sæculi nostri Antistitem sic quidem scripsi: simpliciter, quia petitionis æqui-

æquitas pompam recusabat: efficaciter tamen, quia preces, quæ cùm breves, tamen facundæ sunt, adjeci. Aliquid ille epistolæ meæ tribuet, omnia caussæ tuæ: ut sperem, vel confidam potiùs, pro humanitate sua promptum fore, qui maximè doctrinæ favet: pro doctrina, qui quotiescumque interpellatur, humanissimum se ostendit. Cantiunculæ formulam, tempestivè submissam, seriis expressi verbis, quia maximè seriam; & huc redegi petitionis summam; ne arbiter fiat, qui adversarius esse voluit; desinat autem rigidus esse, qui semel morosus ac molestus. Si tanti epistola est, ut existimes exemplar servandum esse, exscribi poterit: nullum enim apud me remansit: si non est, nullo damno perire. Ego certè, si opus, vel aliam, vel etiam aliter scribere paratus sum, bono affectu & cultu tuus. Lovanii, in Arce, v. Kal. Aprilis ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA

EPISTOLA LXIX.

Lovanii.

CYPRIANO à S. MARIA,

Carmelitarum in Seminario Lovaniensi Priori.

QUæ ferre statueram nova, ecce mitto: ita faciliùs hoc tempore scribo, quàm exeo, animo interim istic præsens. Auram & viam expende: non possunt pedes quod manus. Sic verò privatum impedimentum, publicum beneficium est, dum copiæ hostiles in prędiis aut præsidiis continentur. Nostræ hac etiam morâ paratiores erunt: & magis pecuniâ, quæ in novum belli nervum à populo passim & liberaliter confertur. Minùs gravat, quod omnibus imponitur onus: magisque exemplo quàm imperio ad largiendum pauperiores excitantur. Dant, qui exigunt: quis excusationi locus? Unusquisque tamen arbitrio suo liberalis est, ut juvet quantùm potest: conferunt autem plerique ut videantur posse, cùm tamen velle majus putem. Galli Batavique

nónne ampliùs suos premunt, atque jam vel lassos, vel exhaustos? Victoria nostra est, non si vincimus, sed si bellum paullulùm adhuc sustinemus. Spes autem præcipua à GERMANIA, ut omnes judicant, pacanda pendet. Sed nunc lege quæ mitto, & me ama. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Maji, ∞. I Ↄ C, XLI.

EPISTOLA LXX.

Bruxellam.

FERDINANDO DE BOISCHOT,

Equiti Ord. S. JACOBI, *Baroni de Saventom, Brabantiæ Cancellario, Legato Regio.*

TAndem igitur, sed commodâ & ab AmicoGUILIELMO BURIO, Viro bono doctoque oblatâ occasione EPIGRAMMATA mea BELGICA mitto. An tanti sint, nescio; sed mitto. Mea sunt, ideoque sive bona, sive mala, offere debui, si non pretii, certè officii ratione. Quid etiam? Belgica sunt, & novitate fortè suâ placere poterunt, cùm

cùm metri Latini leges religiosâ syllabarum dimensione sequantur. Jam verò argumentum Ethicum est, ac vitæ communis officia comprehendit: opportunum, opinor, populo, ut discat; Magnis Doctisque, ut oblectentur. Nomen hîc meum ne exprimerem, insinuavi, Latinè Belgicum, Belgicè Latinum. Sic lateo igitur ut prodeam, sic prodeo ut lateam: quippe sub HONORI appellatione ERYCIUS sum, sub BORNI PUTEANUS. Cæterum si quid in scribendo vitii est, meum est: editionis caussam ille in se suscepit, qui à nomine suo passus est patrocinium capi; veteres elegantias etiam in vernacula solitus lingua æstimare. Sed omne nunc ego à judicio tuo pretium laudis capiam; veniam, si peccavi. Vale, me & studia mea ama. Lovanii, in Arce, IV. Eid. Jul. CIƆ. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXXI.

Bruxellam.

CAROLO SCHOTTE,

Equiti, Ærarii Sanctioris Assessori.

DE meis statueram rebus, & post intervallum scribere, cùm hic me juvenis interpellaret, cupidus in gratiam benignitatis tuæ insinuari. Bono, bene nato, & bene instituto quid negarem? Studia hîc PHILOSOPHIÆ absolvit, scriptionibus etiam civilibus se exercuit, & variarum linguarum peritus est, boni ac placidi, nisi me omnia fallunt, genii, & ad obsequia prompti. Intellexerat verò, deesse jam tibi, qui à manu, à secretis, vel etiam à Cubiculis sit: suam igitur operam, & simul fidem offerre ausus est, dignus sic quoque à me commendari. Cætera & Prudentiæ tuæ & Humanitati committo. Pro filio quoque, ut solet, & Pater loquetur, qui Serenissimo Principi, nobiliori titulo, à custodia est, & favorem meretur. Ego quidem commendatione istâ, nunc alter velut pater sum, &

& ingenii caulsâ, aliquid apud illum juris, apud te libertatis sumo; ut me ostendam tuum, esse affectu, obsequio, cultu fore semper. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Septemb. ∞. IↃC. XLI. De meis rebus si permittas ut scribam, etiam liberior ero; sed in Benignitatem tuam non peccaturus.

EPISTOLA LXXII.

Bruxellam.

N. VENNIO,

Quæstori Ordinum.

HUmanissimis interpellatus nuper litteris tuis, non scripsi quæ agenda erant; sed egi quæ scribenda. Post officium quoque tanquàm non peccarem, silentium usurpavi. Ipse cùm BRUXELLAM Celeberrimus THEODORUS noster iret, loquens esse epistola potuit, tam accuratus rerum omnium quàm ingenio & arte omnes facilè superat. Gaudeo verò tam facilem ad opus suscipiendum fuisse, quàm ab itinere non abhorruit.

Poterat enim profectò famâ jam suâ contentus esse, & sibi post labores superstes vivere, beato & litterario otio dignissimus. Cæterùm tuâ se benevolentiâ beatum prædicat, & obstrictum favori, quem non semel expertus est, etiam cùm ignotum se putaret. Sed quomodò ille lateret, cujus publicæ tam insignes tabulæ sunt? Et quomodò Virum tam celebrem, addo tam bonum tuus non complecteretur affectus qui nemini clausus est? Mactè animi, Vir ad virtutes nate: ostendis profectò, in divitiis, & dignitate nihil pulchrius esse, quàm liberales Artes & Litteras amare. Hoc verò nomine quantùm & ego generosæ humanitati tuæ debeam, majori audebo calamo profiteri. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Novemb. ∞. IↃC. XLI.

EPIST.

EPISTOLA LXXIII.

Bruxellam.

VIRGILIO,

MARCHIONI MALVEZZIO,

Legato Regio.

TAnquàm ætatem negligam, novos etiam in studiis animos cepi, novos labores; qui faventiâ tuâ ad fructum, ut confido, venient. ELOGIA sunt HISTORICA IMPERATORUM, REGUM, PRINCIPUM AUSTRIACORUM, DUCUMQUE BURGUNDIAE; atque hæc ordine explicare publicè pro lectione velim: quemadmodùm hoc unum RUDOLFI VICTORIOSI, exempli caussâ, repræsento. Publicè, inquam, sed statis, & JOVIS dumtaxat diebus: prorsus ut hac amœnitate historiæ nuperæ, & tamen nostræ, recreentur Auditorum animi, & ad reliqua studia uberiùs exsurgant. Majus erit Opus, & THEATRI HEROICI titulo, magna ex

parte jam perfectum. Sed cujusmodi futurum sit, Editio ostendet, quam judicii auctoritas tui luculentiorem faciet. Ad hasce cogitationes ab Amico meo singulari D. GUILIELMO BLITTERSWYCKIO, JUSTI F. inductus sum: qui cùm in Republica versetur, sic simul Litteras, Elegantiasq; complectitur, ut illud meum σπουδαίως exprimat, illud unum utile censens, quod rectum & honestum est; & à sordibus alienum. Filium amo: sed Patrem nunc laudo, in quo Viro ipsa sibi virtus videtur exemplum formare. Quâ integritate & simul prudentiâ Fisci Munus in FINANTIARUM COLLEGIO administrârit, unus & viginti anni loquuntur; quo fructu, res ipsa Regia indicat, & privatim ego scio. Quid possit fieri, experientiâ novit; quid debeat, virtute vult: quia auctoritas sæpè defuit, utilitas impedita est, & occasio neglecta. Hic, ne plura dicam, BLITTERSWYCKIUS est, verè JUSTI nomine, quod vitâ, moribus, munere ubique sibi vindicat: verè Assessoris loco dignus, ad quem nisi adspiret, in se peccet, & negligere commoda Regia, ad quæ promovenda natus est, videatur. Ego peto, prenso, ambio, & auctoritatem tuam in favorem merentis imploro. Cupio privatim, debeo publicè; tamquàm judicem,

judicem, hunc Virum non idoneum tantùm, sed necessarium Ærario esse. Alibi fortassis, ut homines sumus, & ab hominibus interpellamur, falli potui; hîc certus sum. Alii in petendo publico munere lucrum privatum spectent: hic Regium: in hunc unum quicquid possum commendationis confero. Sed nimius sum. Auctoritas tua, quia tota recta est, & Virtute splendet, amplectetur Virum, qui privatus esse mallet, quàm in publico munere exemplum tuum non sequi. Vale, Illustrissime DOMINE & PATRONE, & me sic nunc scribentem magis ama, qui, integerrimo cultu & obsequio tuus sum. Lovanii, in Arce, v. Kal. Novemb. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA LXXIV.

Bruxellam.

IGNATIO LE ROY,

Equiti, Toparchæ de Herbais, Ærarii Regii Præsidi.

SI adolescentię nostrę memoria in iisdem aliquando locis studiisque actæ, ingrata non est; ad veterem affectum novâ familiaritate veniam, atque adeò beneficium audebo sta-

flagitare. Invitat humanitas quoque tua, quodam quasi animi candore ingenita, quam deprehendere è suavi interdum affatu potui, non annis, non honoribus imminutam. Totus ille flos tuus in fructum conversus est, & sic Ærario Regio primâ dignitate PRÆSIDES, ut in publico munere privatam modestiam constanter retineas, sine ambitione tranquillus, sine cupiditate dives, sine invidia felix. Vitam sic quidem tuam ab omni lucri corruptela alienam video: te in Ærario aureum, id est, purum, integrum, incontaminatum; non amore tantùm, sed cultu & veneratione dignum. Amorem olim detuli, permitte quæso ut post cultum & venerationem ad eundem redeam; imò ut tuo nunc vicissim fruar; qui familiaritatis mihi fiduciam subministrabit. Facile sic quidem quod petere institui beneficium, erit; quia favore tuo nitetur: facile, & geminum; quia quod daturus es, à me in filium meum JUSTUM CAECILIUM derivabitur. Sed petitionem ille meam, imò suam explicabit, JUSTUS JUSTAM, quo vocabulo merita ejus comprehendo. Filius est: sic dixi omnia. Tuum tu, & in studiis habes, quem tanquàm meum complectar. Lovanii, in Arce, quæ & ipsa favore tuo indiget, XII. Kal. Decemb. ∞. IↃC. XLI.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXV.

Bruxellam.

DOMINICO MARINI,

Comiti Delle Masere.

Singularem Epiſtola tua benevolentiam ſpirat, tota ſuavis, & laudibus ſimul exuberans. Illam exoſculor, ad haſce erubeſco: lætus, quia amor, timidus, quia extollor. Quid enim ſi infra famam conatus ſtudiorum deprehendas, & plus in nomine quàm ingenio eſſe? Si quid poſſum aut præſto, tuum ecce eſt: æſtimare voluiſti. Ne plura dicam, ſic me quoque tuum habe: utere ingenio meo, & nomen quo innotui, tuo illuſtrabis. Meûm tuo, quod Magnum eſt, & olim, cùm terra anguſta eſſet, à Mari ſumptum, ut toto hoc etiam elemento, & per NEPTUNI Regna reſplenderet. Debebat, ita me Deus, à cælo appellatio capi: unde virtus familiæ derivata eſt, & quo gloria aſcendit. Hanc non in armis tantùm, ſed & in litteris conſiſtere, elegantiſſimus ille genius tuus Majorum

Majorum referens indolem, ostendit: ostendit Epistola, benevolentiæ, ut dixi, plena, quam mihi Litterarum caussâ tribuis; plena laudum, quam Litteris, meâ. Nunc rogo, ut Lovanium, Arcem, & in ea me videas, de studiis autem meis & obsequiis coràm decernas. Vale, & quamvis laudes declinem, benevolentiam velis nunc etiam petenti indulgere. Lovanii, in Arce, VI. Kal. Decemb. CIϽ. IϽC. XLI.

EPISTOLA LXXVI.

Bruxellam.

ANDREÆ CANTELMO,

Summo Militiæ præfecto, postea Catalauniæ Proregi.

VIrtuti quantùm Militari tribuendum sit, tua novit, qui ipse totus nonnisi virtus es, solis verisque solitus idcirco meritis favorem dare. Hac fiducia scribo, & commendare virum audeo, verùm MARTIS pullum, non tantùm notitiâ tuâ, sed & familiaritate, imò benevolentiâ dignum, cujus nomen

nomen per BELGICAM CAMPANIAM vicinosq; tractus, sic notum est, ut Encomium faciat. Centurio pridem fuit, quem gradum cùm acciperet, meruerat, solis suis factis assurgens. Hic ille est, quem in obsidione Lovaniensi descripsi; sed tum signiferum: imò hic ille est, cui res graves & arduæ committi solent: ideo Principi CARDINALI, gloriosissimæ memoriæ æstimatus: sic & Præsidi, & Archiepiscopo. Ego quia Virum amo, Virtutes ejus Excellentiæ Tuæ insinuare volui; ut, si accesserit ipse (& ut accederet hortatus sum) benignum vultum, aurem, animum CANTELMI inveniat: favorem quoque, si alibi, hîc certè cum fructu impendendum. Deprehendet solertia tua verum hunc militem esse, unum è paucis. Speret præmia ejus favore, cujus gloriæ paratus semper erit facta sua impendere: ut ego ingenium & scripta. Ita vale Magne Patrone. Lovanii, in Arce, Prid. Kal. Decemb. ∞.IↃC.XLI. Urbis & Academiæ nostræ caussam nuper egi: nunc à PALLADE ad MARTEM transferre sermonem ausus sum, quod utrumque in te Numen veneramur.

EPIST-

EPISTOLA LXXVII.

Bruxellam.

AMBROSIO ONCELIO,

Equiti, Summo Ærarii Sanctioris Quæstori.

OPtimum Sereniſſimumque FERDINANDUM, heu, præmaturè nobis ereptum, citiùs animis, quam veſtibus lugere cœpimus, etiam poſt veſtes dolorem retenturi. *Omnibus ille flebilis occidit*, flos Principum, Militię noſtrę & Reipublicæ fulcrum: ſed quo & bonarum artium ſtudia nitebantur. Occidit verò, ſingulari mihi quidem fato; qui à læta purpura ad triſtem ſepiam tranferre nunc calamum cogor: gemendo triſtis, ut ſcribendo lætus antea fui. Quid nunc verò ſumęndum operæ ſit, ipſe luctus, veſtiumque color indicat, totus noctis, imò totus mortis, quam nigram, non pallidam cum Poëtis appello. Nigra veſtis eſt, quam ſumpſi, ſed meo hîc ſumptu;ut ſummulam ab Ærario mihi tanquàm à Conſiliis, decretam à tua

à tua humanitate recipiam. Exigua est: sed quia à tua manu, magna videbitur. Non enim quantùm numeretur, sed à quo, & quo animo expendendum est. Tuum scio, te veneror, & me offerens meum hîc Nomini tuo, Virtuti, dignitati consecro. Lovanii, in Arce, x. Kal. Januarias, ∞. I Ↄ C. XLI.

EPISTOLA LXXVIII.

Bruxellam.

VIRGILIO

MARCHIONI MALVEZZIO,

Legato Regio.

NOvum mitto folium, cùm debeam folia: sed hæc nunc, ita à molestiis nonnullis respirem, promptiori manu daturus sum; cùm nihil æquè desiderem, quàm sine intermissione versionem pulcherrimi hujusce Operis absolvere. Non in omnibus hactenus mihi satisfacio: à tuo tamen cupio judicio pendêre. Itaque si intellexero, quæ ad gustum non sint (ac sine dubio nonnulla erunt) operam

operam dabo, ut novis formulis nævos meos corrigam. Satis erit, quemadmodùm nuper insinuavi, loca adnotare. In aliis me ames, hîc ut severus sis rogo: ita enim amari me intelligam. BLITTERSWYCKIUS meus hîc suam simul offert operam, scripturus ad me quidquid Censuram postulabit. Viri hujus diligentiam mirari & amare satis non possum, quæ cum maxima bonitate conjuncta est, digna in Magnis occupari, & favore tuo; ut sic magis merentis conditio illustretur. Patrem ejus Optimum, Prudentissimum, Integerrimumq; nuper commendavi; quia hoc me officium debere & Regi & Ærario Regio censui: debere ejus meritis, qui cùm munus petit, præmio potiùs donandus est. Viri boni promovendi ad publica munia sunt, & publicè privatimque se habebunt bene omnia: ipsi mali volent tandem boni esse. Sed ego audebo quoque pro filio meo, sed bono; pro milite, sed strenuo; pro equite, sed signifero intercedere, *ANDREA PUTEANO*; qui in turma sua (hæc Præfectum habet *SALVATOREM RUFINUM* Mediolanensem) Optionis sive propræfecti locum hactenus vacuum petit. Quia alii omnes judicant eum mereri, tuum imploro favorem: quemadmodùm *D. MICHAELIS DE SALAMANCA*

MANCA nuper imploravi. Scit ille hoc munus in filium meum rectè collatum iri, ideoq; omnem addixit operam. Si opus sit, petitionē meam litteris adipsum Excellentissimum Comitem ASSUMARIUM directurus sum: quem propitium, ut spero, experiar, quia jam benignum. Vale Illustrissime & Excellentissime DOMINE, & me ama. Lovanii, in Arce, vi, Eid. Febr. ∞. IↃC. XLII.

EPISTOLA LXXIX.

Monasterium.

JOANNI CUYERMANS,

In Suprema Brabantiæ Curia, Senatori, Legato Regio.

PArce deliciis: Virtutem ego tuam, quæ profectò non jacuit; & Amorem qui nec tacuit, admiratus sum. Semper stat, qui rectè ac prudenter agit: semper loquitur, qui amat. Dites ego oris & pectoris tui dotes olim novi & suspexi: tu verò per *discrimina rerum &* fortunâ obstrepente, *in Latium tendens*, honoris præmia & meritus, & consecutus es.

Me ſimul quàm amâris, & quàm non ſilueris ſcripta tibi mea lecta, imò æſtimata, indicant, *PURPURAM* ſic quidem *AUSTRIACAM*, quia ad Magnum mittere *SAAVEDRAM* voluiſti, felicitas excepit. Solem agnoſco, & ab eo ſplendorem derivari. O Epiſtolam planè purpuream! Sed qui ſic ſcribit, nónne *HERCULIS* ipſe ingenium exprimit? Tanto placere Viro ſatis eſt ut omnibus placeam. Poſt librum, ſi libellum æſtimas, hanc nunc de *ANAGRAMMATISMO DIATRIBAM* vide, mei viciſſim Amoris, non tacentis, teſſeram. Ut & ego utar deliciis: invenies hîc nomen tuum, & fortaſſis ignorabis. Lovanii, in Arce, prid. Kal. Maii. ∞. IↃC. XLIII.

EPIST-

EPISTOLA LXXX.

Bruxellam.

FERDINANDO DE BOISCHOT,

Baroni de Saventhem, Brabantiæ Cancellario, Legato Regio.

A Nupero conflictu tristiores eramus, ob sinistrum etiam de Nobilissimo filio tuo rumorem. Sed salvum esse, posteà intelleximus, & gavisi sumus. Quis neget dubios belli ubique casus esse? Sed magna stetit hæc victoria hosti; cui postquàm cessimus, pares sumus: cessimus autem non virtute sed fortunâ; & ut majori fiduciâ tam Duces quàm milites niterentur: illi consiliis, hi armis ostenderent, victos se non esse. Dabit igitur Deus meliora: dabit Pacem, in quam GALLIA jam prona est, majoribus affligenda malis domi, nisi bellare foris desinat. Quid ego ista, quæ prudentiæ tuæ explorata sunt? Malo de studiis, aut iis certè negotiis, quæ Ur-

 bis

bis nostræ sunt, & ad mutationem Magistratûs faciunt. Amicum hunc meum, virum & civem singulari laude bonum inter scabinos nominatum esse intelligo: hunc quia aptissimum scio, commendare audeo: prorsus quasi beneficium & Urbi & mihi petam. Bis jam Senatorem egit, & se majori dignum gradu præstitit; carus Civibus suis, Regii nominis & existimationis studiosus. Fortunis quoque commodus est, moribus compositus, vitâ & famâ honestus. Talis omnino, ut de favore & gratia, quam peto, dubitare non debeam. Vale. Lovanii, in Arce Regia, III. Eid. Jun. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXI.

Bruxellam.

FRANCISCO DE MELLO,

Marchioni de Tordelaguna, Belgicæ Gubernatori.

IN Virtutem tuam insurgens Fortuna, magis etiam gloriam illustravit. Non potuit iniqua

iniqua esse, nisi rursus tamen faveret, quasi explorans, an quo animo roboreq; prospera geri solent, adversa corrigantur. Victoriâ nuper ad triumphum veneras, nunc clade ad Victoriam. Nam ut pugnatum est, plus penes hostem damni fuit: qui postquàm vicit, rejectus est. Stamus igitur, quia in fracto exercitu integræ rursus vires sunt; quia fortior Magnus ille MELLUS, & consiliis & armis: Stamus inquam, & viciniores Paci sumus; quam, tuæ cedens Virtuti GALLIA, in novo hoc suo & lubrico rerum statu quæret; non habitura securitatem domi nisi hostilitatem foris deponat. Huc jam vota omnia nostra diriguntur: meum etiam peculiare, ut bene Pacem volentibus sit: bene inter bonos BLITTERSWYCKIO meo: quem, occasione Magistratûs in Urbe Bruxellensi renovandi, obnixè commendo. Ut Scabinus fiat, primum Tribus suæ suffragium adfert: sed ille, utilior Regi futurus, Thesaurarii munus meretur. Ille meretur, ego peto, certus, illum functioni isti aptissimum esse; summâque fide & curâ rem populi & Subsidia Regia promoturum. Breviter sic dixi quæ dicenda sunt; & quæ dicent alii, si privatum affectum publico metientur. Multæ & præclaræ animi ingeniique dotes in hoc Viro sunt, dignæ Re-

publicâ, dignæ isto munere, dignæ, ut claudam, tuo favore. Hunc peto, hunc exspecto, hunc promittere Amico & promerenti audeo. Vale, vive, vince, & omnem ostende Virtute tuâ fortunam minorem esse. Lovanii, in Arce, xv. Kal. Jul. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXII.

Bruxellam.

BENEDICTO DE LODI,

Marchioni de Tordelaguna à Sacris Confeßionibus.

AUreum illud tuum, & plenum Virtutibus pectus, quemadmodùm veneror; ita à curarum mole ad quietem aliquam audeo, & amœnitatem provocare. Nostrum hîc cœlum, nostrumq; hoc Solum quidni alubescat? Ubi Musæ Gratiæque, etiam, tranquillior pietas est: malisque inter studia, quàm negotia respirare. Ergo Arcem hanc, *MARTIS* olim Sedem, nunc *PALLADIS* in hospitium offero, non sumptuosum, sed amicum; in quo,

si

si quid nuper tristior fortuna peccavit, deponas ac diluas. Sanè & me familiamque meam, & ipsum locum beabis. Ne proficisci grave sit, comitem itineris, imò ducem daturus sum, & quo vel maximè delecteris, *BLITTERSWYCKIUM* meum, prorsus tanquàm alterum me, Virum Optimum, officiosissimum, integerrimum, rerum mearum omnium participem ac consortem. Veniet ille libens meâ causâ, & magis tuâ: quorum alterum amoris est, alterum officii & amoris. Ut igitur hunc amorem, hoc officium admittas rogo; & aliquid vicissim mihi, in Amici tam boni gratiam, sed nescientis, concessum esse velis. Urbis Bruxellensis innovatur Magistratus: quia de Thesaurarii quoque Munere agitur, mea vota & cogitationes in *BLITTERSWYCKIUM* direxi. Eas adfert dotes, quæ dignitatem istam omnino merentur: & quid de eo Cives sentiant, publica suffragia attestantur. Spes mea omnis est in ipso Marchione DE TORDELAGUNA, ad quem scripsi: sed ut eæ litteræ tuis inclusæ transmittantur ad petitionis pondus maximè facier. Reliqua Pater *BLITTERSWYCKII*, Vir dignissimus affectu omnium dicturus est, qui litteras dabit. Huc redeo, & rogo, ut relictis isthic curis, ad nos excurrere, & in Arce ad remis-

 sionem

sionem & amœnitatem structâ, respirare per dies aliquot velis, imbui aëre, qui ad sanitatem faciet. Vale. Lovanii, in Arce, XIV. Kal. Jul. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXIII.

Bruxellam.

FRANCISCO KINSCHOTIO,

Supremo Belgicæ Thesaurario, posteà Brabantiæ Cancellario.

MAgni muneris tui umbram saltem aliquam in Urbe Bruxellensi exprimit, qui Civibus à Thesauris est, & tuo quoque suffragio constitui solet. Sed Virum ego nunc commendare audeo, qui aliquid etiam (liceat dicere) Genii tui habet; quia præclaras & incorruptas animi dotes admirabili candore temperat, promptus, prudens, & quasi ad Rempublicam natus. GUIL. BLITTERSWYCKIUS est, totus ille meus; sic jam versatus in Curia, ut laudem apud Bonos omnes adeptus sit, ultimisque Comitiis Civium, quo Scabinus fieret, primo omnium loco

loco Nominatus. Publici calculi publicum elogium faciunt: meum adjicio, quamvis privatum, sed quo publicam conor utilitatem promovere. Hic ille Vir est, qui Ærario Urbis regendo aptissimus est; qui accuratissimâ diligentiâ res omnes tractat; alienas, tanquàm suas, has etiam postponens; qui ab avaritia, sordibus, malisque artibus, quemadmodùm Reipublicæ studet, ita Regi Regiisque commodis addictus est. Sic quidem ut alios jam Magnates taceam, à Magno DE TORDELAGUNA amatur, & tanquàm inter familiares: sic (ut omnia dicam) jam notus est. Ego pro affectu meo, imò pro officio, ago. Pro affectu, tanquàm filium (sic eum habeo) commendem: pro officio, tanquàm peccem, nisi commendem. Ut igitur tuo illi favore propitus sis, Te per amorem mei rogo. Magni muneris tui umbram aliquam expressurus, semper & totus tuus erit, quemadmodùm ego me, ô Virtutum Patrone, esse vero cultu profiteor. Lovanii, in Arce adhuc laborante, XIII. Kal. Julias, ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXIV.

Bruxellam.

CAROLO LAURINO,

Consilii Provincialis Artesiæ Præsidi, & à Consiliis Statûs.

INter Amicos peculiari affectu BLITTERSWYCKIOS prosequor: Patrem, Filiumque majorem natu, in quo totum quasi Patrem invêni: Virtutes, inquam, Patris, meâ etiam institutione (quod glorior) provectas. Et Pater quidem in sanctiori Ærario, multis jam annis Fisci Advocatus, Rem Regiam prudentissimè, diligentissimè, integerrimè administravit: Filius hoc exemplo in Curia & regimine Civitatis Scabinum non semel egit: nunc etiam à Tributibus suis, & primo quidem loco ad idem munus Nominatus. Æstimare, & sic commendare ingenium ejus, quod vividum est, judicium, quod acre & rectum, industriam quæ incomparabilis, voluerunt. Totum si spectem virum, incorruptissimus est, & à malis omnibus artibus

bus alienus: majori etiam functione Reipublicæ dignissimus. Hoc ago igitur, hoc voveo, ut in Thesaurarium Urbis, hoc anno eligatur. Ago, inquam, sed tanquàm ipse Patrem & pro filio agam: voveo, quod scio & Aerario civium,& simul Regio utile commodumque fore. Tuum igitur favorem, tuum suffragium imploro, & tuâ niti auctoritate audeo, quæ non poterit à solita humanitate abire. Hic meus, gratus est Bonis, gratus Magnis, gratus Magno Gubernatori nostro *MELLO*; qui hoc idem illi munus superiori anno (ut certò scire potui) destinaverat, si tum quidem Magistratus non fuisset confirmatus. Quid plura? Merentem commendo: & tua non poterit merenti Virtus non favere. Ego certè, quâ hoc nunc peto familiaritate beneficium, eâ fiduciâ exspecto. Peto mihi, & sic Amico meo: exspecto verò, quod totum in Rempublicam & Regem transferatur. Sic amo, sic nunc laudo *BLITTERSVVYCKIOS*: tu eos, in familiaritatem assume, laudare ac laudare voles. Vale, & vive, & me tuum, ut soles, habe. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Jul. ∞. I Ɔ C. XLIII.

EPIST-

EPISTOLA LXXXV.

Bruxellam.

FERDINANDO DE BOISCHOT,

Equiti Ord. S. JACOBI, *Baroni de Saventhem, Brabantiæ Cancellario, Legato Regio.*

RApuit me nuper singularis Benignitas tua, etiam litteris, eisque amicissimis expressa. Hinc nunc liberior sum, & petitionem proferre audeo, à Cive ad familiarem Amicum meum: quem nisi commendem, deesse mihi, Reipublicæ, Regi ipsi videar. Cùm Amicum dico, omnia dico, & complector simul, quæ commendationem merentur, genus, ingenium, prudentiam, industriam, integritatem. Sic natus, sic educatus, sic usu factus, sic virtute confirmatus, meus est, G. BLITTERSWYCKIUS, dignus Republicâ, quam Scabinus, & cum laude, in Curia Bruxellensi, semel iterumque gessit: dignus affectu tuo, quem ut ego impetravi pridem

dem, ita nunc & ex occasione derivare in hunc Amicum velim. Varia accepi beneficia, unum nunc etiam, & huic uni rogatum venio, quod functione Thesaurariâ continetur; sic administrandâ (ita spero, ita spondeo;) ut Rex & Respublica fructum, Illustrissimus favor tuus laudem gloriamque percepturus sit; fateantur Boni omnes Magnique, rectè hoc munus collocatum esse. Quomodo id etiam & ad studia mea, & ad famam Urbis Bruxellensis faciat, testatum mox reddam: placiturus ipsi magis Excellentissimo Marchioni DE TORDELAGUNA, ubi intellexerit, BLITTERSWYCKIUM à me commendatum esse. Tuus semel sit, neminem magis ames, neminem æquè familiarem cupias; à nemine etiam observeris religiosiùs, sinceriùs colaris. Agere ille solet, quæ alii dicere, non verbis, sed reipsâ, candorem, & officia boni viri profiteri. Has in eo inveni virtutes, quidni promoveam? Et his nunc conor Benignitatem tuam propitiam reddere, ut uberiùs celebrem. Sic nunc vale, & permitte, ut te Patronum suum BLITTERSWYCKIUS nominet habeatque; qui me solet Patrem appellare. Quæ scribo, toto affectu scribo, & hunc totum perpetuo cultu gloriæ tuæ consecro. Lovanii, in Arce, IX. Kal. Jul. ∞. IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXVI.

Bruxellam.

CAROLO LAURINO,

Consilii Provincialis Artesiæ Præsidi, & à Consiliis Status.

SAlutem à te mihi Clarissimus, TULDENUS noster tulit, quam calamo geminam, ter geminam, intimoque animo reddo; Deumque precor, ut pro voto vita fluat, & in seram sanè ætatem extendatur. Filius hîc quidem tuus repentinus, & puerilibus purpureisque nos papulis solicitos habuit: sed extra periculum nunc omne est, Rubor enim maturuit, & suum viscera vigorem sibi vindicârunt. Ad compendium morbi facit, in tam bona domo curari. Non poterat etiam malè corpus ejus esse, ubi tam bene ingenium erat. Cæterùm convalescenti Elogium CAROLI V. Imperatoris obtuli: quod & huic nunc epistolæ tanquàm munus adjungo. Quia Elogium est, placere poterit; quia Historicum, ad delicias faciet. Censurâ Sanctioris Con-

Consilii munitum est, quæ à tuo quoque consensu venit ornatum typis, ut quemadmodùm antea cruciasti oculos, nunc oblectes: magis enim à prælo, quàm à calamo ingenii opera allubescant. Quidquid sit, ut partes illæ hactenus sunt, THEATRUM meum struitur, reliquosque mox Imperatores recipiet. BIVIUM interim VITAE HUMANAE, sed Virtutum Vitiorumque Lineis constituo, bono, ut spero, juventutis. De reliquis adhuc Scriptis meis deliberandum erit. Vale. Lovanii, in Arce, VIII. Kal. Octob. ∞ IↃC. XLIII.

EPISTOLA LXXXVII.

Mechliniam.

GUILIELMO BURIO,

Ecclesiæ Metropolitanæ Canonico.

OBstringi incipio, ita amans mei, rerum mearum satagis. Epistolam verò tuam exosculatus sum, quid nisi imaginem tui? Animum videre potui, quem eleganter & officiosè exprimis, totum & candidum & bonum

num, Sanè quemadmodùm eruditus es, ita & mores habes. Gaudeo igitur, & CHIFLETIO CODICEM Legum Antiquarum datum esse & ZAPIO litteras meas. Gaudeo quin imò, plures jam esse, qui BLITTERSWYCKII affectum exprimant: in unius locum plures venire. Et ZAPIUM quidem nisi amem, indignus omni amore sim: nisi te, barbarus & inhumanus. Ille vilem epistólam, vel solo nomine meo æstimet, totum sibi ingenium obstringit. Tu cùm promptam paratamque in res meas operam offers, ad familiarem me sinis scriptionem progredi. Atque hæc peculiaris quædam humanitas est: quâ, ut me tuum esse videas, utí pergam. Interdùm Magni, aut Amici salutandi, tuo id ore fiet: interdum litteræ dandæ, tuâ id manu. Etiam nummorum negotia quædam sunt, alia librorum. Et quamvis circa libros ferè occupatus sim; cogor tamen etiam ad nummos sive recipiendos, sive expendendos venire: quorum alterum Philosophi, alterum Civis munus est. Juvabis utrobique, & si quid præterea agendum, Gladius mihi DELPHICUS eris. Me vicissim occupa, ama, & ex intervallo, scriptione bea. Lovanii, in Arce, Nonis Novembris, postridie. Natalem meum anno ∞ . IↃC. XLIII.

Septua-

Septuagesimum heri ingressus sum : qui terminus habetur vitæ humanæ.

EPISTOLA LXXXVIII.

Vaillanpontium.

MICHAELI DE POUTRINCOURT,

Equiti Melitensi, Commendatario de Chantryne & de Fief.

QUod Academia Lovaniensis, omnesque hîc boni petunt, nisi & meâ commendatione prosequar, in officium & humanitatis & pietatis peccem. Humanum est, persolvere miseris, quod pietas exigit; pium quod humanitas suadet. Patres ecce Dominicani Hiberni remoti à Patria, & sic miseri, remotiores à subsidiis omnibus, & sic bis miseri tuam supplices humanitatem, tuamque pietatem implorant. Domus S. JOANNIS hîc LOVANII quæ tua est, malè nuper habita à rusticis, & tantùm non profanata, iram quoque divinam manifestâ vindictâ sensit, felix, quòd

non tota fulmine absumpta sit. Recepit hos nunc Patres, & expiari potuit: qui cùm gratiam Numinis novi, & tum veteres inquilini, secum inferrent, suis etiam sumptibus habitationem instaurârunt. Dicuntur igitur Sacra, vigent studia, & quemadmodùm Civibus templum, ita doctis Collegium rursus patet: aguntque boni, & digni favore viri, quæ ad publicum bonum spectant. Sed quid? Onusti annuo conductionis pretio, cùm gratis quodammodo rustici habitârint. Onusti, inquam, & impares, remitti sibi pensionem ducentorum quinquaginta florenorũ, quæ constituta erat, obnixè rogant, & in subsidium petitionis, intercessione Academiæ, ita & meâ insuper utuntur. Dixit Academia, quæ pondus suum habent. Addo ego Deo & loco dari, quidquid Patribus remittetur; non ut conducant domum, sed ut ipsi conducantur, par esse; hoc autem beneficium plenum humanitatis, plenumque pietatis, & hominibus, & Deo placiturum. Ita vale & vive, Perillustris ac perquàm Generose DOMINE, & ab his etiam Patribus, inquilinis tuis, propitium Numen habe. Lovanii, in Arce, quæ vicina est, Nonis Maii, ∞. IↃC. XLIV.

EPISTOLA

EPISTOLA LXXXIX.

Mechliniam.

MELCHIORI HULSHOUTIO,

Societatis JESU, *Scholarum Præfecto.*

LItteras tuas non sepiâ sed melle scriptas, & in eis geminum suavissimumque affectum exosculatus sum. Quòd me amas, benevolentiæ est; quòd filium meum URBANUM, pietatis: prorsus tanquàm & meâ & illius simul caussâ obstringar. Hunc verò, ut ingenuè dicam, in Scholas Societatis JESU, & in tuam peculiari affectu curam admissum esse, tanti jam facio, quantùm professò gaudeo, tam salutari me aliquando disciplinæ traditum, litterarum studia tractasse. Alia & alia Gymnasia sunt, eadem Societas & institutio; alii viri, eadem doctrina & fama. Ego quidem ut habitus sum & exercitatus, proficere potui: de URBANO meo quidni etiam meliora sperem? Adfert ingenium, industri-

am tuo maximè hortatu assumet, & meo, ut quid gloriosiùs dicam, exemplo. Ante omnia, amare discat Litteras, & volet capessere: Parentem in Præceptoribus veneretur, & Majorum in me affectum inveniet. Tibi verò nisi ampliùs etiam quàm Parenti deferat, ne mihi quidem URBANUS erit: bis futurus filius, si PUTEANI nomen suo aliquando ingenio illustrabit. Faciat Deus, & te mihi, mei amantem servet. Novum quia annum ingressi sumus, strenulam hanc geminam à me, imò à filio cape, & me tuum cense. Lovanii, in Arce, Eidibus Junii, ∞. IↃC.XLIV.

EPISTOLA XC.

Hagam-Comit.

JANO VLITIO,

V. C.

NOn veniam elegantissime VLITI ad verborum delicias, ut silentium excusem. Distuli litteras, quas sine notis mittere nolui. Distuli notas, quasi infra exspectationem tuam futuras. Sanè vilioris mihi commatis

matis excerpenti visæ sunt; collectæ olim, cùm quidquid in GRATIUM esset, tanquàm dignum gratiis æstimarem. Hic tum affectus erat, ne errorem appellem, quo in tuam nunc peccare eruditionem timui. Rursus promissi mei memor, paucas persolvere lituras verecundè malüi, quàm ambitiosè debere. Accipe igitur munusculum nunc tandem, & vix munusculum. Non pretio quidem suo, sed meo obsequio expendendum. Aliquo sic etiam erit loco, quod nullum est, si non eruditionis tuæ, sed humanitatis rationem habebis. Illam coràm admiratus sum, hanc toto absens animo complectar. Vale, & me cultissimi ingenii tui & eruditionis elegantias æstimantem ama. Lovanii, in Arce, XI. Kal. Septemb. CIƆ. IƆ C, XLIV.

EPISTOLA

EPISTOLA XCI.

In Castra.

FRANCISCO DE MELLO,

Marchioni de Tordelaguna, Belgicæ Gubernatori.

NOvo rursus affectu, novoque cultu me totum, totamque studiorum rationem Excellentiæ Tuæ, Do, Dico, Addico. Venienti gratulatus fui: abeunti (ut rumor est) placere quomodò non connitar? Tanquàm in die fuerim, noctem timeo, propitia post Solem sidera fortassis non habiturus. Sed tua Virtus ad majorem tendit splendore tuo gloriam, paucarum Provinciarum angustiis claudi nescia, ut Magni Regis nomine Regna moderetur. Si meæ spontis sim, & sine onere in obsequium transire Excellentiæ Tuæ velim, pars Comitatûs esse, & quocumque, quacumque sequi; exequi ingenio stiloque munia quæ tanto Patrono devotus cliens nunc etiam debere me profiteor. Hoc desiderium, sed aliud fatum: quod manere jubet,

jubet, & apud Belgas reliquum ætatis transigere. Aliquid solatii à nupera in HISPANIAM missa petitione exspectaveram, sed frustrà. Etiam titulus ille à Consiliis, & sic neque stipendium auctum. Decreti semel mille floreni, longi tamen aut incerti. Ductis igitur ad calculum rationibus, vendere Bibliothecam constitui, quæ quatuordecim millibus florenorum æstimatur. Sed utinam hunc Thesaurum Princeps aliquis sibi vindicet, ne, si in plures veniat manus, dispergatur, si in privatas, paullatim etiam pereat. Magno labore, sumptu, tempore instructus est, & tanquàm gemmas Librorum rariores contineat, pretiosus. In meum usum pauca & geminata quæ habeo exemplaria sufficient. Rex noster Gymnasium Imperiale nuper MADRITI instituit, non adhuc plenâ laude, nisi Bibliotheca accedat, quæ muta & semper loquens ingeniorum officina est, sive docenti, sive discenti necessaria. Quamvis arma ubique strepant, Litterarum tamen ratio habenda est; sine quibus nec arma esse possunt. Verùm excedo: atque familiariùs quàm deceat, agere videor. Summa Scriptionis hujus est, ut Excellentiæ Tuæ discessum in alias terras paranti prospera, læta, optata omnia voveam; me, ut

dixi novo rursus affectu novoque cultu totum mancipem; absens tanquàm præsens semper futurus sim. A me enim Benignitas tua, quæ virtutibus omnibus, scientiisque splendet, nunquam abibit. Vale & vive, Illustrissime & Excellentissime DOMINE, PATRONE æterne, & Deo munitus, major hominibus esto. Lovanii, in Arce, prid. Kal. Septemb. ∞. I Ↄ C. XL IV.

EPISTOLA XCII.

Bruxellam.

MICHAELI DE SALAMANCA,

Equiti Ordinis S. JACOBI, *Ærarii Militaris Regii Summo Præfecto.*

VOtum hoc nostrum, & bonorum omnium hactenus fuit, ut tuas virtutes Rex Magnus BELGIO redderet, isto lumine, in hoc statu rerum, isto solatio indigenti. Exurget quoque PALLAS mea, quia MERCURIUM suum recipiet, & tanquàm à JOVE missum. Non-

Non ſinit valetudo, ut excurram, & coràm veterem affectum novâ veneratione conſecrem. Facio calamo, & eodem cultu, quo pridem & me, & familiam meam, atque ipſa ſtudia à tuo pendêre patrocinio profeſſus ſum: quemadmodùm ultima ſigna LACONISMUS recepit. Ut tempora ſunt, imò ut homines ſunt, non poſſunt ſine fulcro ſteriles à ſe Litteræ ſtare: ſed ut tua eſt auctoritas, bonitas, omniſque pulchri amor, non poterunt deinceps jacêre. Antea ſanè, quò minùs de rebus ſive privatis, ſive publicis agerem, intervalla locorum impediebant: nunc ſi non præſens, proximus tamen ſum, & ex Arce, quæ velut larem familiarem te agnoſcit, loquar; lætiorem facturus ætatem meam, quæ à benignitate tua novum vigorem ſumet, & in hieme, ſive temporis ſive fortunæ, hiemem ignorabit. Ut hæc etiam nunc Dignitas tua eſt, perennem ſibi vindicans gloriam, aliquid etiam ipſe luminis, imò caloris à familiaritate obſequii derivabo. Plura dicenda erant, ſed contraho, ut Nobiliſſimus BLITTERSWYCKIUS meus ore ſuo ſermonem extendat. Is nunc ſcribenti mihi adeſt, & in hoc mecũ cõtendit, uter Virtutes tuas, & incredibilem humanitatem magis amet, colat, ſuſpiciat. Cęterùm huc venerat, ut in GELDRIAM mox,

& ad novum munus suum à Consiliis profecturus, Amicis, & mihi hoc nomine valediceret. Ut igitur illius nunc cultum ac venerationem benignè admittat facilitas tua, sed tanquàm à me simul provenientem rogo. Vale, vive, & me ama, Illustrissime DOMINE & PATRONE, ac plenâ felicitate fruere: quam apprecari tota familia mea audet. Lovanii, in Arce, x. Kal. Novemb. ∞.ІϽC. XLIV.

EPISTOLA XCIII.

Bruxellam.

EIDEM.

HUmanissimæ rursus litteræ tuæ sunt: & quomodò aliæ essent, quæ tuæ? Sed tam benigno favore uti posse, magnum beneficii pondus, & instar est. Quò etiam recurrerem, nisi ad benevolentiam tuā quam velut sacram anchoram jam sæpiùs expertus sum? Non igitur infelix hæc senectus erit, non studia, si tuæ quoque & Virtuti, & Gloriæ impendentur. Septuagesimum primùm ætatis annum prid. Non. Novemb. ingressus sum, & novum

vum vigorem ab affectu tuo ſumo. Quò magis nunc etiam rogo obteſtorque, ut Excellentiſſimo PICOLOMINIO & vota mea commendes, & officia offeras; quæ licet litteraria ſint, ad militiam tamen faciunt. Non pugno, ſed deſcribere pugnas ſoleo, ſtilo celebrans, quæ gladio geruntur. Filium interim militem, ſed ſtrenuum & merentem, ſi attollere ſtudeam, dignus favore ſum; tanquàm litteris velim arma ſociare. In præſenti petitione unum hoc fortaſſis objici poſſit, filium meum Italum non eſſe. Ille verò maximè eſt: non tantùm, quia Mater Itala; ſed quia cum tota ego poſteritate in numerum Civium ac Patriciorum Romanorum ſingulari honore adſcriptus ſum: ſic certè Italus quia Romanus; ut ubicumque filios habeam, Italos poſſim nominare. Sed ſimus Belgæ; facta Italica, imò Hiſpanica (præfiſcine dixerim) filius exprimit, prærogativam ſibi non unius rationis vindicans. Ad ſummam, felix ero, ſi quem commendo, ex Propræfecto Præfectum videam. Vale, familiæ meæ Heros, & me ama. Lovanii, in Arce, v. Eid. Novemb. ∞. IↃC. XLIV.

EPISTO-

EPISTOLA XCIV.

Bruxellam.

OCTAVIO PICOLOMINIO,

Duci Amalfio, Militiæ Belgicæ Archistratego Regio.

AUsim denuò, nuperâ inductus humanitate pro filio meo ANDREA ad Præfecturam turmæ suæ adspirante interpellare. Sed & occasio nova invitat, quam constans rumor suggerit, Equitem VALLE MELITAM revocatum, à Militia Regia abiturum. Hæc igitur occasio si vacuum munus faciet, jam tempestivè rogo ut nostri memor Excellentia Tua sit, & petitionem nuperam, sed casu irritam, novo favore complectatur. Aliquid spei, imò fiduciæ in meritis filii, totum in virtute tua merita æstimantis. Evehatur filius, ut utilis Regi, & Militiæ Regiæ sit: ego beneficium præcipuè capiam, & ipsa putabo Litterarum studia attolli. Hæc tracto, hæc ad gloriam quoque Rei Bellicæ faciunt,

ciunt, & lumen viciſſim, imò vitam à Maximo Belli Duce in BELGIO ſument. Ita vale, vive, vince. Lovanii in Arce, Prid. Kal. April, ∞. IↃC. XLV.

EPISTOLA XCV.

In Caſtra.

EIDEM.

CUm jam intelligam, Equitem VALLE non rediturum, aliiſque ſint, qui Præfecturam turmæ ambiant, imò petant; cauſſam rurſus filii mei ANDREAE, libellum ſupplicem offerentis, ago, & commendo. Non me ſinit heroïca Excellentiæ Tuæ benignitas de favore, quem ſpero, dubitare. In hac autem filii promotione Pater rerum ſuarum ſummam collocat, veneraturus ingenio Excellentiæ Tuę gloriam, quâ & bellum hoc noſtrum, & BELGIUM illuſtratur. Bellum, quamvis graviſſimum, & geminum; cùm hoſtis uterque magis adhuc laſſetur, quàm vincat, majori ſtrepitu quàm fructu, niſi minuta quædam, ſed ingenti conatu molimina æſtimet. BELGIUM autem, felix, quamvis

vis afflictum, quia incredibili virtute tuâ, vigilantiâ, fortitudine propugnatur. Ecce inter tot milites tuos, etiam filius meus est, ad majorem jam adspirans gradum, ut præstet ampliùs, & se ostendat PUTEANUM esse; sed Excellentiæ Tuæ beneficio evectum. Petitionis momenta nuper exposui: & quamvis ipse taceam, merita loquuntur, quæ suum ab hoc honore præmium accipient, & mea simul studia, Excellentiæ Tuæ dedicata, attollent. Sed ego, ut indicarem à Litteris Militiam alienam non esse, Novam istam MUNITIONUM SYMMETRIAM scribere volui; facillimis LINEIS constitutam. Si nimis fortè facilem Artem feci, utilitatem non imminui. Vale, vive, vince. Lovanii, in Arce, prid. Non. Augusti, ∞. IↃC. XLV.

EPISTOLA

EPISTOLA XCVI.

Cracoviam.

FRANCISCO A DEMBIANII DEMBINSKI,

Succamerario Generali, Provinciæ Cracoviensis, Vielacensis, Bochnensisque Capitaneo.

IN litteris ad me missis & virtutem & Dignitatem tuam veneratus sum, quibus inter prima Regni decora emines, amplexus humanitatem, quâ veteres ac tenues conatus meos æstimas; veterem verò, ac singularem tuum in me affectum innovas & velut instauras. Jam pignus habebam tantæ benevolentiæ, filium tuum egregiâ indole & luculentis animi ingeniique dotibus instructum; quem cùm in larem meum, & familiarem studiorum consuetudinem susciperem, suscipere ipsum Patrem videbar. Quidini verò optima sperem? Ausim promittere? Nec tam stimulus necessarius est, quàm directio, sive Suadæ

Suadæ templa, sive Politices scandenda sint, illa ardua & sublimi collocata, à Bona Mente subsidia sunt, quam cùm nomino, omnia studiorum adminicula comprehendo. Multum etiam momenti in Gubernatore filii: cujus & probitas & doctrina, tam exactè feliciterque ad exemplum, quàm ad imperium valent; quo utroque uti, compendium quoque laboris erit. Sed mihi jam Palæstra non nisi domi est; quæ publica antea erat, eò etiam ignobilior, quia tuo nomine velut lumine destituta. Quid dicam? Modus operis, pauca tantùm admittebat Eloquentiæ specimina; neque pompa hîc spectata fuit, sed fructus. Hunc etiam, si in filio nunc ostendam, quanti Patrem faciam, testatum, ut spero, reddam. Faciam equidem, ut & meus quodammodo filius videatur. Ita vale, Illustrissime & Excellentissime DOMINE, & me amare perge, imò vel sic incipe. Lovanii, in Arce VII. Eid. Decemb. ∞. IↃC. XLV.

EPISTO-

EPISTOLA XCVII

Bruxellam.

PHILIPPO CHIFFLETIO,

Abbati Balernensi, Metrapolitanæ Ecclesiæ Vesontinæ Canonico & Vicario Generali.

VEhementer me cepit insigne quod accepi libri munus, argumento piissimum; versione, ut facundiam & elegantiam exprimam; Tuum; typis, qui tali debebantur & argumento, & versioni, Plantinianum. Imagines nitidioris scalpelli sunt; aptissimè verò à tam vivo divini Amoris exemplo sumuntur. Versus illi tui in limine, totidem velut lumina sunt, nisi & imagines appellandæ. Hæc breviter, ut videas, quantùm debeam, & quantùm velim equidem referre. Non possum autem, nisi parva quædam, & grati animi specimina magis quàm dona: quæ nec mitto, sed promitto: quia omnino adhuc parata non sunt. Licebit verò hac etiam ratione agnoscere

 bene-

benevolentiam, & Musam Doctissimi JANI DETRABI cui & pietas tam eruditè, & eruditio tam piè scribenti obstricta est: ego utriusque caussâ. Vale, & me amare perge toto animo tuum. Lovanii, in Arce, v. Kal. Mart. CIↃ. IↃC. XLV.

EPISTOLA XCVIII.

Cracoviam.

STANISLAO à KONIECPOLE KONIECPOLSKI,

Castellano Cracoviensi, Regni Poloniæ Summo Stratego, Buscensi, Barensi & Coveliensi Præfecto.

POst nuperum ac liberale munus, novum ecce benevolétiæ pignus, alter STANISLAUS KONIECPOLSKIUS, Excellentiæ tuæ Nepos. Pro munere quidem nunquam satis gratiæ scripserim; Pignus ita complexus sum, ut veri nunc audeam clientis nomen, imò officium usurpare. Non promitto operam, sed offero: non paro, sed impendo. Hujusmodi etiam hæc

hæc indoles est, tam seria, quàm serena; ut non possit à sanguine, id est virtute & gloriâ, degenerare. Facilis igitur, institutio erit; fructus, ut spero, fertilis; quia & in auxilium probi prudentisque cura Gubernatoris veniet. Sed STANISLAUS hic tuus stimulos à bona naturâ adferens, non sinet profectò infra nomen suum ingenii laudem jacere. Ut auspicia quoque sunt, feliciter succedent vota, florebunt studia, sequentur præmia, quæ perennia erunt. Vale Illustrissime & Excellentissime Domine, & gloriâ tuâ diu fruere. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Decembris. CIƆ. IƆC. XLV.

EPISTOLA XCIX.

Hercam.

GODEFRIDO WENDELINO,

Canonico Condatensi, posteà Tornacensi, Ill.mi & R.mi Episcopi Officiali.

UT in hoc æstu, plusquàm Belgico, parumper te oblectes BRUXELLAM ecce mitto. Libenter leges, quam spectare

non invitus soles; sic quoque & Viros, & Amicos inventurus. Aliqua in Typis majestas est, in Imaginibus venustas, in Argumento varietas, septies septenis SEPTENARIIS extensa. Sed in vestibulo libri, si subsistere etiam libet, προσφώνησιν quæso inspice, & examina, an modum servârim: reliqua aliquid etiam otii poscunt temporisque mollioris. Nomen tuum, & breve Elogium Heptade v. Disticho IV. invenies; & magis ingenium, quod ubique divinum, hîc etiam venerari debui: in ea, inquam, Urbe, quam deinceps meam appellabo, si tuam esse volueris. Scribe aliquid, inscribe; tuam facies: me autem tuum magis magisque, quamvis ampliùs fieri non possim. Tu fac, si me amas, ut quamprimùm te complectar, ac vale. Lovanii, in Arce, VII. Kal. Augusti, ∞. I Ↄ C. XCVI.

EPISTO-

EPISTOLA C.

Bruxellam.

ELIÆ DE BIE,

Equiti, S. Petri ad VVolvam flumen Toparchæ, Ærarii Belgici Sanctioris Consiliario & priori Graphiario, Archivorumque ibidem Regiorum Gazo-Philaci.

DIrectorem ecce Epistolarum nostrarum te appello, sive ad BLITTERSWYCKIUM ego meum, sive ille ad me scribat. Nonne sic etiam excusare silentium commodè potui? Sæpiùs, ita me Deus, torpet calamus, aliquando ne argumentum quidem invenit. In rebus meis privatis nihil plerumque novi est, in publicis nihil læti. Sed te quando complectar? Licebit sic quidem & de privatis, & de publicis. Conjugem adduces, ut hoc aëre, & hac amœnitate recreetur. Aliquid vigoris, ut spero, capiet, & singulari cæli

 benefi-

beneficio audebit bene valere. Multum profectò in ipso animo situm est, aliquid pati posse, & crudis abstinere. Ecce Medicum ego, quia ægrotare didici. Nunc tamen de valetudine non conqueror: & quia aliquid mihi otii sumo, minùs senio obnoxius videor. Vale, & me amare familiariter perge. Lovanii, in Arce, VI. Eid. Augusti. ∞. I Ↄ C. XLVI.

CENTURIÆ V.

FINIS.



INDEX EPISTOLARUM CENTURIÆ V.

A.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

Iano

L.

M

Melchi-